Library of the Museum

OF

COMPARATIVE ZOÖLOGY,

AT HARVARD COLLEGE, CAMBRIDGE, MASS.

Founded by private subscription, in 1861.

DR. L. DE KONINCK'S LIBRARY.

No. 1350.

219 b

DAVID-SIGISMUNDI Büttners

CORALLIOGRAPHIA SUBTERRANEA.

Seu

Dissertatio

De

CORALLIIS FOSSILIBUS,

In Specie,

De

LAPIDE CORNEO

Horn- oder gemeinem Feuer-Stein/

Cum

Tabulis æneis.

LIPSIÆ,

Impensis FRIDERICI GROSCHUFFII. Anno 1714.

ELENCHUS.

CAP. I.

De diverſis quibusdam opinionibus circa Foſſilia, olim ſubmerſa, in genere.

CAP. II.

De coralliis marinis, ut marinis.

CAP. III.

De coralliis FOSSILIBUS, unâ cum recenſione è tabulâ æneâ I. II. III.

CAP. IV.

De lapide corneo, Horn / oder gemeinem Feuer-Stein.

CAP. V.

CAP. V.

De origine ac natura coralliorum fosſilium.

CAP. VI.

De origine ac natura lapidis cornei.

CAP. VII.

De ſede ſeu loco deprehenſionis horum coralliorum fosſilium.

CAP. IIX.

De via ac vi, qua pervenerunt in noſtras regiones mediterraneas ac montoſas.

DEI

TAB. I.



TAB. II.



MCZ LIBRARY
HARVARD UNIVERSITY
CAMBRIDGE, MASSA

MCZ LIBRARY
HARVARD UNIVERSITY
CAMBRIDGE, MA USA

TAB. III.


1.
2.
3.
4.
5.
a.
b.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
a.

TAB. V.


1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.

TAB IV.

MCZ LIBRARY
HARVARD UNIVERSITY
CAMBRIDGE, MA USA

DEI Solius Benignitate.

CORALLIOGRAPHIÆ SUBTERRANEÆ

Cap. I.

De diversis quibusdam opinionibus circa FOSSILIA, olim submersa, in genere.

§. I.

NUllum credo nostrûm tam rudem rerum naturalium esse, qui fando nunquam inaudiverit, subter crustâ globi habitati latitare FOSSILIA, summam quæ habeant *convenientiam*, imò *identitatem* cum plerisque ad regnum animale ac vegetabile pertinentibus. Inde quoque proverbium puto natum : *Nihil supra terram esse, quod non simul sit infra illam.*

§. II.

Nimis tamen *vexata* videtur doctrina circa hæc fossilia, utpote quæ multis, nec inferioris ceræ Physicis, crucem fixerunt, & *adhuc* figunt, seculo quamvis oculatiori. Excell. Dn. *Luidius, Anglus sagaciſſimus ac laborioſiſſimus* de se ipso fatetur : Diurna, inquit, harum rerum contemplatio non aliud nobis, quam novam quotidiè admirationis, dicam; an

 stupo-

stuporis? occasionem præbuit, adeo, ut hesternis innixam observationibus sententiam, *hodiernis labefactatam* sæpe fuerim expertus.

Lithophylac. Britan. Epist. VI. ad Dn. D. Joh. Rajum.

§. III.

Nec sine ratione. Regni enim animalis ac vegetabilis indigena, per quatuor annorum millia, in carcere terreo conclusa, partim in diluvio contusa, postea corrosa, in lapidem vel mineram commutata, characteristicas sui regni notas *externas*, unâ cum qualitatibus *intrinsecis facillimè amiserunt*. Quid? quod multæ in mari nostro post diluvium catholicum versantes species, ne dicam genera, oculos nostros omnino ateant, quæ tamen post diluvium fossiles reperiuntur & *cum marinis, nunquam vel rarissime acquirendis*, nec conferri, nec tales judicari possunt, quales revera sunt Exempli instar sint nobis Belemnitæ ac Lapides judaici, particulæ animalium quorundam marinorum, ut circumstantiæ suadent.

§. IV.

Nemo igitur mirabitur quosdam, sibi *nimium diffidentes*, de exoptato investigationis eventu desperare, hærere ac meditabundos sibi Chimæras ac Phœnices fingere, de quibus paulo post. Exin hi vel alii id devotè narrant, quod *Patres*, insimul paternam similitudinem fidelissimè i. e. *falsa non falsò* transscribunt, ne mingere videantur in veterum cineres, quos adorant. Præcipuè verò miraculifices & iconophili a quodam Bonifacio redivivo sibi anxiè cavent, qui Virgilium Episcopum, quamvis philosophantem, ob assertos Antipodes fulmine olim petiit, sed romano. (*a*) Imò hodiè quoque dira minatur nobis, ridentibus suas mulierculas infanti geras, papas triplâ coronatos, Iacobos Compostellanos conchiferos, angelos tutelares, fictos victos à ficto Georgio Dracones, unâ cum brassicâ cruciformi Hamburgensi. (*b*)

(*a*) Centur. IIX. Magdeb. p. 534. (*b*) Relation curios. Happel. Tom. I. p. 334.

§. V.

Ex adverso Scholasticorum hæredes *nimium confidunt* Physicâ terminiloquâ & dissonâ locorum communium harmoniâ, literaturâ magis, quam

quam eruditione fœtâ. Huc referenda est Disputatio quædam de figuris variarum rerum in lapidibus etc. quâ Metaphysicus novam naturam subterraneam, sesquipedalis tituli: *metallo-litho geneticam* producere conatus est. (*a*) Propterea ab Excell. Dn. D. Christiano Maximil. Spenero, Reg. Maj. Borus. Consiliario ac Archiatro, etc. in eruditissimâ de Crocodilo marino fossili dissertatione ex merito notatus: Modum, inquit, hunc indigitare sustinuit autor, & tandem eodem ferè temperamento implicatissimum quæstionis nodum solvere conatur, quo Philosophus ille Æsopicus quæstionem hortulano propositam: Cur herbæ sponte nascentes lætius ac uberius crescant, præ herbis solicitiori hortulanorum culturâ terræ implantatis, dicendo: *Sic esse comparatam harum rerum naturam.* (*b*)

(*a*) Cap. II. §. 58. 62. 63. (*b*) Part. I. Miscell. Reg. Borus. Societ. Scient. p. 112.

§. VI.

Numerosior tamen illorum exercitus, qui facillime se expediviss̃e credunt & è Scepticismo effugisse, quando abnegatarum qualitatum occultarum loco, *malo longè pejus*, *lusus nempe naturæ*, substituunt & sæpe non sine bile, defendunt. Archæo & Archæum ludunt, sed ad urnam usque nescient Quem? Archæum quippe salutant, qui à creato mundo, mundo illudat blandulus, &, ut Vir acerrimi judicii Dn. D. *Georg. Ernst. Stahlius*, Reg. Maj. Borus. Consiliarius ac Archiater, Medic. ac Phys. Profess. in Acad. nobis vicinâ, epistolio ad me dato, illorum sensa urbanè expressit: **Ein Archæus werde von ihnen getichtet, der solchen Spaß, Possenspiel und unnütze Spiele-Werck vornehme, darüber die Leute Maul und Nasen aufsperren solten,** inserto Diluvii testibus p. 175. 183.

Conf. Dn. D. *Lungershauf.* Disput. de imitamentis nat. p. 96. §. 5. n. 2. *Rudera diluv. testes*, §. 81-86. 88-103.

§. VII.

Quasi verò *majestaticus ac gravissimus Essentiator* actuosissimâ causarum ordinatione seu directione ordinis naturalis, nunquam non effecti-

vâ, *ludat.* Sanè hic ordo, sive Archæum ac Spiritum mundi sive naturam naturatam, imo naturantem sobriè dixeris, ab operosissimâ sapientissimi ac severissimi Numinis mente ac voluntate *unicè dependet*, nihil ex se intendit, neque ἄνοος intendere, destinare & efficere potest. Ideo quotquot lusuum insimulatur natura, *tot imputari Directori gravissimo* sciant ac vereantur assertores, potissimum, qui Christiano nomine superbiunt, tamen, assertione Lusuum, *materiam idololatriæ subministrant*, imò *Apollinem ac Musas* annuli Pyrrhini cum his lusibus *crucifixorum &c.* annumerari ac credi, *ipsumque Deum* illorum *idolorum*, *ut horum crucifixorum*, *effigiatorem esse*, inconsultè perhibent.

§. VIII.

Non equidem diffiteor, globo terraqueo per cataclysmum feralem depravato ordinem hunc disturbari & impediri, vel etiam in causis propioribus præpediri, quod quam plurima phænomena, malè vel etiam à *Viris eruditis*, *ad hominem & captum moremque vulgi tantùm*, lusuum nomine annotata, commonstrant. Verum neque ob hanc disturbationem vel confusionem, lusuum incusanda est œconomia naturæ. *Natura*, *propriè loquendo*, *nequaquam ludit*, sed ludere *videtur* illis, qui parili ingenuitate cum assertoribus qualitatum occultarum *propriam insciti am confiteri recusant*, quin potius phænomenorum causas occultas pro naturæ ludicris venditant, ne nihil philosophatos esse videantur. *Seriò*, *quia necessariò* agit natura, *etiam in causis perturbatis*, *aliter dispositis*, *moratis*, *præpeditis*, *inde effecta ordinaria ac regularia non producentibus.* Quod è doctrinâ monstrorum regni animalis ac vegetabilis luculenter constat. Profectò, & asylo ludionum, nempe Dendritæ, certa dispositio & *necessariò agentis & materiæ habilis* inest, secundum quæ *ita*, *& non aliter*, effigiari potest Chorolithos vel Dendrites, propriè sic dictus, & à lithophytis planè alienus.

Conf. Excell. Helvetiorum Physici, Dn. D. *Scheuchzer*, Herbarium diluvianum fol. 17. sq.

§. IX.

§. IX.

Liberalis tamen sim, ne de me omnem dissensum criminentur Pægmosynophili tenaciores. Unà cum eruditissimo Philosopho ac Medico Dn. D. *Ioh. Iac. Beyero*, Professore in Altdorfinâ celeberrimo, (a) *aliisque* Viris Philosophis, lusuum nomine, ad mentem vulgi *tantùm* utentibus, Lusus confiteor, profiteor. LUDITUR, inquam, LUDITUR. Verum cujus est Fabula? *Naturæ*? Retraho. *Phantasiæ* humanæ *visu abutentis*? Stat sententia. Phantasiæ scilicet à *judicio desertæ, confusæ, præoccupatæ, vel etiam credulæ, imò* MIMULÆ.

(a) Cryctograph. Noric. p. 31.

§. X.

LUDITUR, quando causarum ordinatio, decursus & effectus aliter dispositus, imò sæpe quoque ordinarius ludivendos latent, & hi aliquid *occulti habent, quod ex imperitiâ* mirentur.

§. XI.

LUDITUR, quando *imaginatio ex apparentiâ* rerum fallitur & fallit. Quando Pægmosynophili stellas comatas, nubes armatas, equestres, dimicantes, feretrales, virgeas ac in illis *Morbonam* falce fœnariâ instructam ac metentem, den Tod mit einer Sense, & quid non? *vel soli* vident, hisce oculis *suis* usurpasse jurant, & ostiatim perorant tremuli.

§. XII.

LUDITUR, quando in metallo in aquas infuso, in sputo in pavimentum excreato, inprimis *in lapidibus commixtæ materiei*, marmore, achate, &c. orbes, urbes, cruces, duces, coronas, corinnas, lectores, lictores, Apollinem, Apellem, Moysen, Musas, lyras, Lares, pontifices, pannifices, littora, literas, numulos, numeros enumerant, & videre alios *jubent*. Potissimum, quando id, quod cum historiâ quadam *religiosâ* consimile, ut *ovum cum ove*, illis videtur, τὸ θεῖον superstitiosè, ne dicam blasphemè, salutant. Quem errorem

rorem Kircheri, Viri *coetera doctissimi*, suum quoque fecit autor Disputationis de figuris variarum rerum in lapidibus.

Kircher. Mund. subterran. Lib. IIX. sect. I. c. 9. *Autor* dispu. Cap. II. §. 54.

§. XIII.

Et quod mirandum, etiam alii nostratium hunc errorem errant, qui Marias cum infantulo, crucifixos, Lutheros &c. e lapide, tanquam, ex tripode, deprædicant, & denuo recensentes, non aliter se habent, dementati credulitate, ac *homo melancholicus*, vel egregiè mendax, qui fictum proprium *iteratò* narrans, sibi ipsi imponit & *suum proprium* fictum pro *non ficto seriò* reputat.

§. XIV.

Verum enim verò quanta & miranda mentis catastrophe! Iidem ex adverso *vera* animalium ossa, imò sceleta *integra*, *vera* conchylia, *vera* denique *ac genuina* vegetabilia, ex inundatione catholicâ limoso fluido admixta, oculis obliquatis despiciunt ac lusibus naturæ ludicrè annumerant, seriæ naturæ planè nescii. Ideo lusus ubique crepant ac nundinantur: Ey seht doch her! wie spielt doch die Natur nicht? hier Knochen! hier Muscheln! hier Schlangen-Zungen aus Malta!

§. XV.

Deum itaque, *naturæ præsidem*, pro mimo habent, ipsi mimilogi: pro statuario ac pictore ipsi anaglyptæ ac figuratores, lusus affingendo divinæ *omnipotentiæ*, *omnipotens DEI nomen in vanum assumentes*. Ita enim de his concionantur: Bey GOtt ist kein Ding unmöglich. Warum solten dergleichen Dinge nicht in der lieben Erde geschaffen seyn? Welcher Christ wolte Göttliche Allmacht leugnen? Hoc superstitioso philosophemate securiores, mundum alium, ac planè absurdum imaginantur, plura commentantur ac sine fronte commentiuntur. Machen Glossen und tichten, ohne Ruhm zu melden, ein gut Theilgen darzu.

§. XVI.

§. XVI.

Huc referendâ est *Lambecii*, Viri multæ lectionis & confidentiæ, commentatiuncula in Phiolam quandam achatinam. Iste enim pro religiosâ potestate Iconophilorum, cum *pictoribus ac poëtis semper æquâ*, è maculis ac faculis, non insolitis Achatæ, sibi *literas & insubsidium, signa fingit, multa in explicatione auctificans* omniaque verò Christianismo applicans. Qua temeritate sane facit, ut naturæ *achatinæ gnari* Iudæi, Turcæ ac Gentiles saniores in stomacho *de fide Christianorum rideant.*

Biblioth. lib. I. p. 25. §. 27.

§. XVII.

Phantasiæ quoque *nimis confidenter indulgent*, qui vaporibus marinis, nivibus denique atque pluviis *auram quandam plasticam*, ut loquuntur, inesse ingeniosè magis, quàm solidè, dicam; an seriò? perhibent, *Viri cætera doctissimi ac laboriosissimi.* Quæ scilicet aura genetrix e vividis conchyliis, imò putridis aliisque marinis egrediatur, ascendat in atmosphæram, delabatur in solum, per tot strata, marmorea quoque ac solidissima, usque ad certas matrices, in gremio terræ ante dispositas, ad imprægnationem avidè expectandam ex magnetico quodam anhelitu excipiendam quasi prædestinatas, sine ullo errore penetret sciola, ibique generet fœcundissima.

§. XVIII.

Ast nemo ferè Sophorum assurgit ingeniosæ huic ac lepidæ fabellæ, quam, ut credo, *tantùm ingenii exercendi gratiâ* proponunt autores. Verentur enim Physici, ne hæ inanimæ animulæ carptim ac scitissim ascendentes è salo ad Solem, circumvolantes inter tonitrua, descendentes per saxa, per ignes, inter terræ vapores frigidulos, minerales, lethales, citius exspirent, quam inspirent & animent.

Conf. Dn. D. *Scheuchz* Querelas ac Vindic. Piscium p. 5. sq.
Ejusdemque *Herbarium diluvianum*; præf. fol. 4. Dn. D. *Stahlii* epistolium testibus nostris diluvii insert. p. 172. sq.
Et si lubet, ipsos *diluvii testes* §. 103-114.

§. XIX.

§. XIX.

Silentio prætereo alios, qui cum notatis interdum conspirant. Dicam tamen in compendio, quod res est. Viri prædicti statum habitumque globi terraquei *præsertem pro primo ac creato integro habent, nullum planè, vel exiguum per feralem illam inundationem experto damnum.* Idcirco fossilia animaliter ac vegetabiliter characterisata (sit venia his & aliis auri Ciceronianæ novis ac nauseosis, *Res eloquar, non verbula*, tempore Ciceronis usitata) Nautilitas scil. Echinitas, Conchitas, Ossa fossilia, Lithoxyla, Lithophyta &c. partum esse mineralem, animalibus ac vegetabilibus consimilem, Archei sc. chimærici ac Pandoræ nunquam parituræ religiosè decantant.

§. XX.

Attamen non desunt *demonstrationes physicæ*, inquit experientissimus Dn. D. *Casp. Bartholinus* (*a*) desumtæ ex altissimis montibus, in quibus extant certa vestigia, & e longissimis terrarum tractibus, qui obducti reperiuntur variis collibus arenosis ex alluentis ac *turbidi fluidi sedimento* ortis & magnam cum maris fundo similitudinem habentibus. Adeo, si ubique observentur terrarum strata, & planorum profunditates, ibi quoque reperirentur argumenta diluvii.

(*a*) de origine fontium, §. 5. p. 19.

§. XXI.

Nec defuerunt Viri alii, qui penitius in fossilia hæc introspexerunt, &, quantùm sensûs ac rationis acumen penetrare potuit, pro submersis animalibus ac vegetabilibus agnoverunt.

§. XXII.

Ut enumerentur autores, nec meæ Bibliothecæ, nec pagellæ copia est. Sequentes tamen, quorum aliquos Bibliotheca haut sufficienter instructa tenet, non tacebo: *Cæsalpinum: Poterium: Fabium Columnam: Nicolaum Stenonem: Petrum Bocconem: Casparum Bartholinum: Iacobum Grandium: Iohannem Rajum*, Viros & ingenio & experientiâ clarissimos, citatos à Dn. Ioh. Woodvvardo, Anglo ac Dn. Ioh. Iac. Scheuchzero: (*a*) Quin & ipsum *Woodvvardum* eruditissimum, ejusdemq;

Inter-

Interpretem Dn. D *Ioh. Iac. Scheuchzerum*, Acad. Tigur. Professorem, *Argum physicum*, Fautorem meum animo propiorem. (*b*) Dn. D. *Christian. Maximilian. Spenerum*, Reg. Maj. Boruss. Consiliarium & Archiatr. pientissimi ac solidissimi Theologi Filium, tanti Patris similem: (*c*) Dn. D. *Ioh. Wilhelm. Beyerum*, Theol. Professorem in Altdorf. Magni Theologi Filium non minorem. (*d*) Fratrem hujus germanum Dn. D. *Ioh. Iac. Beyerum* in eâd. Acad. Medicinæ Professorem celeb. (*e*) Dn. D. *Petrum Wohlfart*, Archiatrum Casselensem, experientissimum: (*f*) Dn. *Gottl. Fridr. Mylium*, *de Patriâ*, *patriæ* ob fossilia optimè merentem, Fautorem meum & in hâc palestrâ commilitonem exoptatissimum. (*g*) Dn. *Leonh. David Herrmannum*, apud Masselenses Past. primarium, amicum desideratissimum. (*h*)

(*a*) In Geograph. physica p. 34. (*b*) Querel. ac Vindic. Piscium. Herbar. Diluv. (*c*) In dissertatione de crocodilo fossili. (*d*) In dissertatione de fossilibus, diluvii monumentis, scripto concinno ac solidissimo. (*e*) Oryctograph. Noric. p. 67. (*f*) In ultimo Hanoviæ Vale. (*g*) Part. II. Memorab. Saxoniæ subterr. p. 34. (*h*) In Masselographia p. 205.

§. XXIII.

Horum aliorumque vestigia & ego premo, sed cruribus non adeo solidatis. Sufficiet & velle & moveri. *Motu forsan augebuntur vires.* Edidi ante quatuor annos, sub *favore* honoratissimi Dn. *Mylii*, *Rudera diluvii testes.* Nunc meditor *Physicam diluvianam*, *DEO juvante*, *edendam.* Interim instinctu cujusdam Patroni hanc de coralliis fossilibus dissertatiunculam præmitto, additis simul ad Illustrationem *tabulis quibusdam aneis.*

Cap. II.

De coralliis marinis, ut marinis.

§. I.

Nemo me de coralliis disserturum arguat, ac si parerga agerem, dum corallia *marina prius* contemplor, eaque *fossilibus præmitto.* Ab imperitioribus enim corallia fossilia *facilius agnoscentur, originis esse corallinæ, um juxta ponuntur & cum marinis conferuntur.*

§. II.

Sunt enim corallia, ut qualiquali descriptione rem proponamus, partim stirpes, partim effluvia petricosa, quæ intra aquam ad fundum ac parietes saxosos exoriuntur & succum viresque auctrices inde trahunt.

§. III.

In *genus lignosum ac lapidosum* dividuntur corallia, ab oculatissimo cœco, D. *Georg Eberhard Rumphio*, Hanovienſi, Consiliario ac Mercatore Belgico in Amboyna, Academiæ curiosorum naturæ altero Plinio,

Indian. Rapport, LII p. 107. append. Mus. Museor. Dn. D. *Valent.* Tom. I. Conf. quoque Mus. *Valent.* p 101.

§. IV.

Non dubium est, quin in oceano magno, *largissimo* reperiantur numero, quod nemo sobrius facile negabit. Certe, si fundum maris, ut elegantissimo ære id communicavit *Constantinus Groot* in der Bibliſchen Weisheit, exhaustis vel abductis aquis undiquaque aperiretur, ubivis uberrimæ horum segetes oculis nostris sese offerrent. Videremus fossam seu ædes maris universas *hac illac vestitas* ramosis non tantùm, sed imprimis globosis, aliisque *coralliorum generibus ac speciebus*, imò densissimis stratis ad modum pavimenti vel etiam collium, non aliter, quam incultam terram fruticetis, ericetis, vepretis, dumetis, fungis, muscoque densissimo constipatis. Videremus *incrementa coralliorum annua*, strata

ſtrata inde *ſuper ſtrata*. Videremus *protuberantia* corallia, quibus *involutæ ac conſepultæ ſuccoque corallino repletæ ac adunitæ* fuerint exuviæ echininæ, conchiceæ aliorumque animalium marinorum oſſa. Videremus certis in locis hoc pavimentum *multis ulnis denſum*, *multis milliaribus diffuſum* & expanſum. Hoc quoque credere ſuadet immenſa coralliorum copia tantùm ad littus maris reperiunda, quam murarii Aſiatici partim in calcem redigunt.

§. V.

Ita comparatam eſſe maris foſſam docent quoque fluvii. *Balbinus* in hiſtoriâ Bohemicâ teſtis eſt, ad collem, Bohemicè: *Scherberle*, fluvium quendam alba ac rubra corallia producere. Tabulâ noſtrâ tertiâ fig. I. videmus Pyritam culinarem ſeu lapidem corneum, è fluvio neſcio: quo? Sileſiaco, miſſum orphanotrophio Hallenſi, mihique per manus Dn. *Vibingii* communicatum, qui, t. t. præfuit cameræ naturalium. In hoc lapide, inſidet vegetabile quoddam aquaticum, nunc aridum & ex viridi nigricans longifolium, incurvatum, flexile, in extremitatibus criſpatum. Eodem modo in lapide corneo adhæret, ut cæteræ plantæ marinæ fundo ſaxoſo, orificio quaſi expanſo, hiante ac ſugente. An immediatè ortum ſit è lapide corneo, an ſeminium in lapidem inciderit, ibidemque innutritum fuerit, me fugit. Poſterius tamen videtur probabilius. Nec ſpecies mihi, aliisque, quibuscum communicavi, conſtat. Tale quoque vegetabile verè marinum, abſcerptum tamen à lapide inter cimelia aſſervat Dn. *Leupold.* Mathematicus Lipſienſis.

§. VI.

Ut ſupra dictum ad duas claſſes non incongruè redigi poſſunt, *dendrici* ſcilicet *generis ac petricoſi.*

§. VII.

Dendricon, linguâ Malaycâ, Indis doctâ, doctisque vernaculâ: *Acarbahar* nominatur. Hoc genus in diverſas diſpeſcitur ſpecies, & quæ propius ad vegetabilia ſupra-terreſtria accedunt, quamvis de indole ſaxoſâ non nihil participent.

§. VIII.

In relationibus Indicis citatis sequentes recensentur: (*a*) Acarbahar Pahor, corallium nigrum ac genuinum, Plinio Antipathes (2) Acarbahar Rotang seu Salianos & linguâ Ternaticâ, Baumanhu (3) Acarbahar genuinum, Lac Laci. (4) Acarbahar Oulan, sive angviforme (5) Acarbahar Cipas. See-Foche (6) Acarbahar Theophrasti, Abies marina See-Cypressen. Genista aculeata. (7) Acarbahar Rutti hutti, Erica marina. See-Hayde. (8) Acarbahar Rumpot. See-Heu. *Omnes* hæ species sunt *nigri coloris*.

Indianische Rapport, append. Mus. Museor. Dn. D. *Valentini*, Tom. I.

§. IX.

Generis quoque dendrici species *albidæ* enumerantur sequentes; Calbahar invicem dictæ. (1) Calbahar nodosum littorale. Gezackt und gegittert, Carolo Clusio lib. I. exoticorum; Hippuris saxea, steinerne Pferd-Schwantz. Hùc quoque referenda Hippuris pelagia. (2) Calbahar Bantamicum, quod cum nostris Europæis coralliis albis, quâ formam externam convenit. (3) Calbahar, ramis distinctum.

§. X.

Tertia specierum classis, generis lignosi est *coloris fusci*. (1) Calbahar Poëty vel Calbahar Cajou Pouti i. e. subalbidum lignosum (2) Rode Rade sive Malaycè: Acarbahar sasaspo (3) Calbahar minus, Kleine graue Seefloche.

§. XI.

Quarta ac ultima species generis dendrici (1) Calbahar reticulatum, s. cancellatum. (2) Calbahar meru. (3) Acarbahar spongiosum, & ob putatitium usum medicum: Datu Svvangi, Zauber-Stein.

§. XII.

Sequitur nunc genus saxosum. Species sunt vel fruticiformes vel vari-formes, quâ divisione, ni fallor, Rumphianâ, supersedere cogimur.

§. XIII.

§. XIII.

Frutici-formes sunt, (1) Carang Bonga. Weisse Corallen-Bäumgen. Pulcerrima omnium. (2) Carang Alea, magis truncum, quam ramos imitans, & ad structuram radicis Galangæ. (3) Carang Goyla, ramis plicatis ac contortis. (4) Carang nigricans. (6) Amaranthus saxeus. (7) Tsienkelant. See-Neglein. (8) Polong-lant See-Mutter-Nelcken. (9) Reticulum marinum.

§. XIV.

Altera s. variformis species ita dividitur: (1) Fungus saxeus, plicis repandis vel surgentibus. (2) Batu Parudan. Stein-Raspen. (3) Mitra polonica, corallion gibbosum. (4) Lapis aquosus, propter spongiositatem ita dictus. (5) Carang Katzen-Kopf. Hæc species à murariis Indicis in calcem facile redigitur. (6) Belemnites marinus. Waffelstein.

§. XV.

Aliis nominibus insigniuntur *Americana* corallia, convenientibus partim cum denominationibus Veterum. Conf. omnino curiosissimi ac laboriosissimi Dn. *Scheuchzeri* Querelæ ac Vindiciæ piscium p. 32. & quæ ex Hans *Sloane*, Viri experientissimi, historia *Iamaicæ* submiserit.

§. XVI.

Verùm enim verò quam plurimæ restant species, forsan quoque integra genera, quæ nostros oculos latent. Nec vereor asserere, *plures* reperiri *fossiles*, utpote ex *imâ abysso*, *tempore diluvii*, *expulsas*, quæ hodie multis de causis produci nequeunt, nec alio motu vel casu evehi ac ejici possunt. Hoc ut credam, adducor à Nautilitis, specie pluribus, quam Nautilorum, nobis cognitorum. Ita quoque comparatum est cum Echinitis & Echinis marinis. *Hi nobis rariores, illi frequentiores.*

§. XVII.

Generationis modus non adeo notus nobis, potissimum generis saxosi ad nostram considerationem magis spectantis. Rationi non repugnat, lactisimiles guttulas ramorum extremitatibus excidere, quarum virtute seminali ac crescibili nova exoriuntur corallia. Vidi ego corallion apud Dn. *Ioh. Fridr. Kreichaufium*, Mercatorem Lipsiensem spectatissimum, in

conchæ testâ ortum. Aliud alibi in cochleâ. Ni fallor aliud apud autorem quendam, cujus nomen me fugit, in cranio humano. Hoc tamen, ut autumo, aliter fieri non potuit, nisi præfato modo. Hæc seminia a *Gassendo* in vitâ *Peireskii* salutantur flores corallini ex apicibus ramorum, tanquam matricibus, propullulantes ac destillantes.

Conf. Dn. D. Valentin. Mus. Museor. p. 104.

§. XVIII.

Sed quid hæc ortûs ratio ad omnes species? Aliæ restant peritioribus me cognitæ. Observavi in corallio, Malaycè: Batu Parudan, dicto, *partes supra partes* ad modum *fluorum crystallinorum* exoriri, vulgo: Drusen, Flüsse, Quartze, aliorumque lapidum destillitiorum, ubi semper novæ partes superinducuntur tempore prioribus, & *hæ illis quasi investiuntur*: Credo igitur, species potissimum variformes *originaliter ac materialiter succum petricosum ac calcarium* esse, quem in aquâ, tanquam in vehiculo, non secus ac stalactitem, tophum, &c. strata saxosa in fundo vel ad parietes maris *desudant*. Aliter tamen comparatum esse cum genere dendrico, hôc assertô non negarem.

§. XIX.

Nec desunt tamen, qui coralliis utriusque generis vegetabilem naturam penitus denegare videntur, cum neque radicem, neque verum corticem ac folia habeant. Verùm an his recensitis absolvatur definitio, viderint negantes. Ad minimum, dendricum coralliorum genus è regno vegetabili ejici, non patietur.

§. XX.

Sed revertemur ad genus petricosum, cujus major ratio in collatione cum fossilibus est habenda. Negat quidem experientissimus *Boccone* coralliorum mollitiem sub aquis, ab *Ovidio* assertam:

Sic & coralium, quo primum contigit auras
Tempore, durescit: mollis fuit herba sub undis.

Lib. XV. Metamorph. vers. 416. sq. Negat, inquam *Boccone* mollitiem, nec tamen omnimodam. (*a*) Ipse enim fatetur extremitatibus fluorem albidum inesse, ideo mollem, ex quo omnino augmentum est expectan-

expectandum. Difficile creditu, sine hac mollitie augeri & crescere posse. Audiamus insuper relationes Indicas supra citatas: Alle diese Haupt-Geschlechte, so tod und hart scheinen / haben doch unter dem Wasser, so lange sie auf ihrer natürlichen Stell sitzen, eine grüne und wachsende Art, und viel derselben oben einen weissen Schleim, worinnen man einiges Leben spürt, wenn man unter das Wasser genau siehet.

(*a*) Dn. D. *Valentini* Mus. Museor. p. 104.

§. XXI.

Nostra corallia *fossilia*, potissimum *lapis corneus* nos monent, ut *diligentius in hanc mollitiem* inquiramus, ut illorum *origo* corallina etiam ex hoc adjuncto eo magis innotescat Benignitate Dn. *Ioh. Christoph. Breckneri*, Querfurtensis, Chirurgi Hamburgensis, possideo corallion, globosum, fistulisque radiosis s. astriformibus instructum. In superficie apparent caveæ oviformes. Sepulcreta nominaveris, Lector. Intus enim reperi exuvias conchicas s. *testas corallio hôc crassibili interceptas ac precluſas*. Qui ergo fieri potuit hæc sepultura? Nulli terebraverunt testæ subrotundæ, vi quadam imperscrutabili, densa hæc ac solida corpora? Durities moratur assensum. Molliæ ergo incrementa sunt admittenda, quibus obductæ fuerunt testæ, testes mollitiei corallinæ.

§. XXII.

Plura de coralliis in statu creato ac primo ut edisseram, non necesse, ne quidem opus. Coralliographiam enim marinam non intendo. *Hæc tantùm* in scenam produxi, *quæ ad collationem fossilium cum marinis faciant, ut idem ortus innotescat.*

Cap. III.

De coralliis fossilibus.

§. I.

De coralliis fossilibus acturus, hæc ut præmoneam, nemini sit grave. Lithographos veteres si consulueris, Lector benevole, reperies quos-

quosdam *scribentes lapidem, sed non moventes.* Plurimi tantùm fossilia *nominibus ad solam similitudinem* formatis, visu, ut dicitur, multùm, *magis* verò phantasiâ decepti, *recensent*

§. II.

Testis sit *Nautilites*, seu *cornu Hammonis*, non admodum benè ab *idolo isto*, *ne quidem nominis digno*, denominationem sortitum. Quid dicam de *Ceraunio*, utensili Gentilium, ac *Belemnite*, utroque *fabuloso?* Ut alios taceam. Doleo tamen de lithographiâ obscuratâ. *Ænigmaticâ* enim hâc onomatothesiâ seducimur non rarò, facilè relegaturi *ad minerale* regnum subditos regni *animalis ac vegetabilis.*

§. III.

Verùm propius accedamus ad nostra corallia fossilia. Nomina, quibus recensentur ac interdum distinguuntur, sunt, quantùm mihi constat, sequentia: Alcyonium: Porus: Madrepora: Retepora: Eschara: Glomellaria: Branchiale: Porpites: Asteria: Astroites: Astroiti-formis columnellus: Astropodion: Radularia: Antipathes: Lithostrotion: Basaltes: Caryophyllus marinus &c. Ubi quædam rem declarant, cætera vero *plus nubis*, quam lucis afferunt.

§. IV.

Omnia tamen hæc nomina *adhuc retinenda* esse, puto, ut *conveniamus* cum veteribus in re designatâ nominibus, usque dum talis agnoscatur, qualis ante feralem cataclysmum fuerit. *Nec* tamen onomatothesiæ priscæ superstitiosè *inhærendum*, vel aliis à tritâ deflectentibus & origines repetentibus *dica est scribenda.* Brevibus: Digna sunt tot nomina, ut recondantur, *sed honestâ sepulturâ.* Lege Lector Dn. *Scheuchzerum* & Dn. I. I. *Beyerum* præeuntes & nos multum informantes.

(*a*) Scheuchz. Lithogr. Helv. Beyer. Oryctograph. Noric.

§. V.

Neque deest coralliographiæ subterraneæ excell. *Luidius in Lithophylacio Britannico.* Hoc tamen non est dissimulandum, ab illo non tantum vera corallia ad hanc classem referri, sed etiam, ut ipse ultro fatetur, omnes

omnes lapides, *cujuscunque* soboles, marinorum *coralliorum annulos ac similes*, quales sunt *Asteria* ac *Porpites* &c. num. 157. Lithographiæ Britann. Certo enim certius est, *Porpitas* Spangen-Stein, *Asterias*, *Asterias columni formes* esse vertebras ac articulos stellarum marinarum s. capitum Medusæ specierum diversarum. Conf. omnino diligentissimi Dn. *Mylii* Part. II. memorab. Saxoniæ subterr. Relat. III. p. 29. sq. Ipse ego nuper *extremam rami vel radii partem acquisivi*, *in gyrum testudineum contortam*, *triginta articulis conspicuam*, ad figuram numeri teutonici 6. Huic ramulo alii articuli soluti *sparsim adjacent*, ejusdem materiæ, quantitatis ac qualitatis. Hoc, profectò, fossile sat gravis est testis originum animalium. Sed hæc obiter.

§. VI.

Revertar ad cancellos, recensendo corallia fossilia, quæ maximam partem meum musеolum ornant, vel onerant.

§. VII.

TABULA I.

Tabulæ I. fig. 1. exhibetur *tuber s. globus corallinus*, fistulosus & quodammodo erosus ac obtusus, è manu liberali Dn. *Leonh. Dav. Herrmanni* apud Masselenses in Principatu Silesiæ, Olsnâ, Pastoris meritissimi transmissus, ante verò ab hoc Viro curiosissimo in ripâ ad ædes parochiales repertus. Idem ferè est cum eo, quem Tab. XII. continuatâ, num. 10. Masselographiæ delineandum curavit. TAB. I. f. 1.

***

In genere coralliorum *marinorum* saxoso uterque locandus, in specie, quæ in Relationibus Indicis Tab. IIX. fig. 5. *Tubularia coralloidis* audit.

§. IIX.

Tabulæ I. fig. 2. Fragmemtum *trunci corallini* porosi, ex arenofodinâ Quernf. Tale quoque conspicitur in Masselographiâ. f. 2.

***

Si contuleris cum corallio *marino* Dn. D. *Valentini* Mus. Museor. p. 108. pro eodem habiturus es, Lector.

§. IX.

TAB. I. f. 3. Tab. I. fig. 3. *Tubularia coralloidis s. globus corallinus* tantæ integritatis, quanta à marinis in statu integro expectari potest, nisi quod extremitates fistularum succo petricoso in clausiris subterraneis largius repletæ. Tubulos, apices, imo *totam structuram exteriorem* accurate & distincte oculis usurpare possumus. *Basin* quoque s. partem radicosam, quâ, per modum fungi, inhæsit olim in Matrice saxosâ, non sine animi oblectamine videre licet, literis a. a. notatam. Hoc quoque fossile primus in Massellis Silesiæ vidit ac meum fecit prælaudatus Dn. *Herrmannus*, amicus æstumatissimus.

***

Dn. Io. Fridr. *Kreichauf*, Merc. Lipsi. Fautor meus colendus, globum quendam corallinum *marinum* cameræ meæ adjecit, quocum optimè convenit fossile nostrum Massellense. Ideo non est, ut de originibus corallinis amplius dubitemus.

§. X.

f. 4. Tab. I. fig. 4. *Frustulum corallii* cujusdam nodosi ac leviter striati è montanis Querfurtensibus.

***

Speciem *Hippuridos* saxeæ vel *Corang Alea* esse facilè crediderim.

§. XI.

f. 5. Tab. I. fig. 5. *Particula corallii albi* truncosi ac nodosi, caveis astriformibus distincti, prope Querf. reperta.

***

Accedit ad speciem corallii albi ac lævis, malayce: *Carang Bonga*, dictam. Conf. supr. c. II. §. 13.

§. XII.

f. 6. Tab. I. fig. 6. *Particula corallii punctati.* Conf. Dn. D. *Scheuchzer.* corallion fossile quantitate differens. Lithograph. Helv. p. 14. fig. 17.

***

Originis corallinæ esse docet collatio cum *marinis* nemini non notis.

§. XIII.

§. XIII.

Tab. I. fig. 7. *Globus corallinus* cimelion selectissimum. Curiosissimus noster *Mylius*, hoc possidet & Part. II. Memorab. Saxon. subterr. æri incisum, recenset. Pace Dn. *Mylii* & huic dissertationi inseram. Astroites orientalis est perdurus, albidus ac elegantissimus, cellulis & hæ stellulis instructæ. Talia quoque reperiri in Gazophylacio Electorali *Dresdens.* idem narrat ibidem. TAB. I. f. 7.

***

Ut ex descriptione *Mylianâ* patet, *eadem corallii* species est, quæ in relationibus Indicis p. 116. b. recensetur. Waffel-Steine sitzen, wie Knolle und halb-runde Kugeln auf den Hacken der ermeldeten Corallen-Steine. Sie sind voll viereckigter oder rundlichter Löcher, so inwendig mit vielen Strahlen besetzt. Wenn sie lange am Strande liegen, werden sie hart, weiß und graulicht, auch voll grosser Gänge und Circulgen, da man die obgemeldten Strahlen drinne siehet. Es ist noch ein ander Geschlechte, welches etwas tieffer in der See wächset, blatt und voll Sterngen. Wenn sie auf den Strand kommen, werden sie so hart, als ein Kiesel.

§. XIV.

Tab. I. fig. 8. *Furculosa punctati corallii particula* ex editione Sabuleto, prope Querf. Conferatur Alcyonium Dn. D. *Scheuchzeri*, Lithograph. Helv. fig. 18. nostro majus corallio. f. 8.

***

Hujus Speciei multa *marina* reperiuntur passim in Pharmacopoliis.

§. XV.

Tab. I. fig. 9. *Fragmentum massæ lapideæ ramulis corallinis repletis*, striatis, intortis, præruptis ac affabrè formatis. Primus hoc oculatissimus Dn. *Mylius*, ad prædium Soceri, Dn. D. *Scipionis*, Zwey-Naundorf, prope Leipzig in repurgatâ quadem piscinâ observavit, collegit & per amicos distribuit. f. 9.

TAB. I. f. 9.

***

Indolem corrallinam nemo sobrius inficiabitur. Convenit quodammodo cum *Carang Goyla Asiatico*.

§. XVI.

f. 10. Tab. I. fig. 10. *Fragmentum corallii* è montanis Quernf. fuscidi ac lividi coloris, sed punicei, ut opinor, ante submersionem. Tale, sed majoribus fistulis instructum nuper Dn. *Herrmann* ex Silesiâ transmisit.

***

Hoc fossile elegans non immeritò aggregatur in numerum *Acarbabar*, *Speciei rubeæ*. De quâ Relationes Indicæ, p. 114. b. Es ist ein Klump von vielen Pfeiffen, als Strohhälmgen, enge und dichte aneinander stehend. Es heist Datu Svvangi, und ist unter die Stein-ärtige Corallen zu rechnen.

§. XVII.

f. 11. Tab. I. fig. 11. *Corallion globosum* & quodammodo pressum, ductibus erroneis, gyratis ac contortis. Repertum in Principatu Oelsnensi prope Massel a Dn. *Herrmanno*, Past. loci. Non infimum coralliographiæ locum meretur.

***

Hoc fossile idem est cum massâ corallinâ. Indis dictâ: *Patu parudan*. Tale *marinum* ex liberalitate Dn. *Bruckneri*, Chirurgi Hamburg. obtinui.

§. XVIII.

f. 12. 13. Tab. I. fig. 12. 13. *Fragmenta corallii fistulosi* externè fig. 12. intus verò fig. 13. *cancellati*.

***

Massam corallinam *marinam*: *Patu-parudan* ita, quâ interiora, comparatam, vidi. Ideo huic speciei adjudicandam esse, nullus dubito.

§. XIX.

§. XIX.

TAB. I.

Tab I. fig. 14. *Particula corallii placenti-formis* structuræ subtilissimæ, generis lignei. Superficies imitatur jubar stellatum. Levis est & attritui facile cedit. Ex arenosod. Querf. f. 14.

***

Memini, apud nostrum Pharmacopolam, Dn. *Mart. Scheibium* hanc speciem *marinam* corallii is .lbis admixtam me vidisse.

§. XX.

Tab. I. fig. 15. *Corallion*, ejusdem speciei ac indolis cum præcedente. Iubar astrale oculum armatum mirè afficit. Nostræ arenosodinæ hoc debeo. f. 15.

§. XXI.

Tab. I. fig. 16. *Particula corallii*, è genere *lignoso*, porosi magis, quam stellati. Non veritus sum hoc fossile *Querfurtinum* coralliis vindicare. Inter corallia enim alba in officinis non raro reperi. f. 16.

§. XXII.

Tab. I. fig. 17. *Particula ejusdem indolis*, densior præcedente. Prope Quernf. reperta. f. 17.

§. XXIII.

Tab. I. fig. 18. Indolem hujus fossilis aliis scrutandam, relinquo. *Asteriis* columniformibus annumerandum *non est*. Caret enim materiâ selenitica ac juncturis fissibilibus, Asteriæ propriis. Neque aliam video classem, cui commodius associare possim, præter corallia. Cylindrites geniculatus subcæruleus Dn. *Herrmanni* Masselograph. p. 221. Tab. XI. num. 38. proxime abest à figurâ nostri fossilis Querf. f. 18.

§. XXIV.

Tab. I. fig. 19. *Frustulum corallii* albi, dendrici ut opinor, generis, sed indurati. Repertum in regione montosa ac arenosa prope Querf. f. 19.

§. XXV.

TABULA II.

Tab II. fig. 1. 2. Utraque facies *ramorum collateralium*, *nodosorum*, zonulis elegantioribus instructorum, ac leviter striatorum adhuc TAB. II. fig. 1. 2.

TAB. II. f. 1. 2. intra massam cretaceam. Quem *naturæ corallinæ testem*, omni exceptione majorem produxit Arenofodina prope Quernf.

§. XXVI.

f. 3. 4. Tab. II. fig. 3. 4. Antica ac postica pars *trunci cujusdam corallini*, albidâ ac punctatâ cortice obducti. Non multùm differt hoc fossile à conterraneo suo Masselensi, quod æri communicavit Dn. *Herrmannus*, Past. Mass. in Masselograph. Tab. XI. contin. fig. 62. Conf. quoque Lithophyl. *Britann.* Luidii fig. 176.

***

Ferè idem est cum *corallio albo pelagio*, Tab. IIX. fig. 4. 7. Relation. Indic.

§. XXVII.

f. 5. Tab. II. fig. 5. Pars *corallii, lignei ac stellati generis.* Ejusdem indolis ac elegantiæ cum præcedentibus tabulæ I. fig. 14. 15. Exrant lit. a. caveolæ forsan ejusdem originis, cujus mentionem fecimus cap. II. §. 21. Hoc corallion elargita est nobis arenofodina prope Querf.

§. XXVIII.

f. 6. 7. Tab. II. fig. 6. 7. *Massa corallina globulum porosum unâ cum ramis incurvatis ac punctatis continens.* Retrò & antè in ære visitur. Indigena prædictæ arenofodinæ est.

§. XXIX.

f. 8. 9. Tab. II. fig. 8. 9. Utraque facies *corallii fistulosi* ac *luridi.* Nemo, qui corallia in statu integro ac primo vidit, huic fossili origines corallinas denegabit. Omnia, quæ corallia marina præ se ferunt, in nostro inveniuntur, etiam ab oculis fugitivis. Una facies fistulis turget, quæ in alterâ concavæ desinunt. Repertum in arenoso monte prope Querf.

§. XXX.

f. 10. Tab. II. fig. 10. Fragmentum *rami corallini* densioris, nodosi, striati ac gyrati. Querf.

***

Medium tenet inter *Columnellum & Hippurim* saxeam. Alio nomine describi idem videtur cap. VI. p. 116. Relat. Indic. *Carang Alea* ist

ist von einer weissen und härtern Substanz, als Carang Bonga mit kurtzen und dicken Zweigen / nicht viel anders, als Galgant-Wurtzel. TAB. II. f. 10.

§. XXXI.

Tab. II. fig. 11. Ejusdem speciei fragmentum. f. 11.

§. XXXII.

Tab. II. fig. 12. 13. Contra naturam ac origines hujus fossilis *corallinas* nihil est, quod excipi possit, adeò accuratè convenit cum corallio albo marino nimis vulgari. Crederes, Lector, immediatè depromtum esse è mari. Dn. *Herrmannus* è Massellis benevole transmisit, idemque, sed majus in Masselographiâ, Tab. XI. cont: fig. 57. ære exhibuit. f. 12, 13.

§. XXXIII.

Tab. II. fig. 14. *Extremitas cujusdam corallii lignei.* Levis est ac structuræ tenerrimæ. Utriusque faciei elegantia satis exprimi haud potuit. Quernf. f. 14.

§. XXXIV.

Tab. II. 15. 16. Superior ac inferior pars placentæ corallinæ. Ab una parte videntur ramuli tubulosi, teneriores, ut *culmuli*: Gras-Hälmgen, quam proximè cohærentes. Desinunt in alterâ punctati, olim sine dubio concavi. Regio Querf. arenosa elargita est hoc fossile. f. 15. 16.

§. XXXV.

Tab. II. fig. 17. *Particula Hippuridis*, ut videtur, incurvata, gyrata, perdura ac pernigra. Quernf. f. 17.

§. XXXVI.

Tab. II. fig. 18. Massa saxea, lurida *coralliis candidis fistulosis*, leviter gyratis, sed dissitis, conspicua. f. 18.

*
* *

Convenit quodammodo cum *Milleporâ Imperati*, delineatâ in Relation. Indic. Tab. IIX. fig. 10.

§. XXXVII.

Tab. II. fig. 19. Fossile Quernfurtense. Nomine *columnelli*, *coralliis* annumeratur a Dn. *Luidio* ac Dn. *Herrmanno* & aliis. Ab aliis f. 19.

quo-

TAB. II. f. 19. quoque *Alcyonium* salutatur. Litera a. monstrat partem succo martiali exesam. Hæcce erosio insimul structuram internam reticulatam, ac coralliis propriam visui exponit.

***

Non dubito, quin fossile hæc referendum sit ad speciem *coralliorum marin. Asiaticam: Polonglant.* See-Mutter-Nelcken. Hoc credas svadet *Caryophyllus marinus* Dn. D. *Scheuchzer.* Querel. Pisc. p. 33.

§. XXXVIII.

f. 20. Tab. II. fig. 20. Massa calcaria, quâ captivi tenentur *articuli stellarum marinarum*, una cum duobus *caryophyllis mariniis* pressis. Perrev. Dn. Past. Massel. *Herrmann*, hoc fossili Silesiaco meum adauxit museolum.

§. XXXIX.

f. 21. Tab. II. fig. 21. *Caryophyllus minor* s. collumnellus albidus. Adeo exesus, ut quasi excarnis appareat & tantùm structuram osseam exhibeat.

***

Referri itaque potest ad *Tsien-celant* Malaborum. See-Neglein. Conf. supr. cap. II. §. 13. Referente Dn. *Leupoldo*, Mathematico Lipsiensi, quidam ex Indiâ redux asseveravit, hosce collumnellos opercula esse coralliorum alborum. Quod autori relinquimus.

§. XL.

TABULA. III.

TAB. III. fig. 1. Tab. III. fig. 1. *Lapis corneus*, in quo exorta ac enutrita est *planta aquatica.* De quâ supra cap. II. §. 5, Monendum tamen, hanc inter fossilia ex diluvio referri non debere.

§ XLI.

f. 2. Tab. III. fig. 2. *Corallion fossile* s. *Astroites, majoribus stellis*, marmoreæ siliceæque duritiei ad fluvium Birsæ reperiundus, & ab ipso aquæ

aquæ Fluxu lævigatus. Quem Excell. Dn. *Scheuchzer* exhibet in Lithographiâ Helvet fig. 49. p. 36. & confert cum Astroitâ *Bocconis* tubulari, stellis majoribus. TAB. III. f. 2.

§. XLII.

Tab. III. fig. 3. *Corallion, Lithostrotion ac Basaltes Luidio & Herrmanno* dictum, instructum majoribus stellis. Ex Masselographiæ Tab. XII. num. 20. mutuatum. Conf. Luid. Lithophyl. Britann. p. 120. Scheuchz. Querel. ac Vindic. piscium, Tab. V. f. 3.

§. XLIII.

Tab. III. fig. 4. *Fragmentum corallii* manifestè tubulosi, fossilis, tubulis ad certam profunditatem excavatis & structuræ interioris stellularum laminatæ vestigia clarissima exhibentibus. E Lithographiâ Dn. *Scheuchz.* p. 37. fig. 50. depromtum. f. 4.

§. XLIV.

Tab. III. fig. 5. Fossile Quersurtense. Ad nullam classem commodius referri posse, autumo, quam *corallitarum*. Nisi egregie fallor, superior fungi marini pars est. Hoc, ut credatur, svadent lit. a designatæ plicæ repandæ ac sursum tendentes, lit. b. delineatum in centro vestigium, ubi, ut videtur, hæc fungi pars stylo s. pede affixa olim fuit. f. 5.

§ XLV.

Tab. III. fig. 6. Fossile hoc proximè abest à figurâ *nuci moschatæ* si basin pressam exceperis. Cortex ac color minimè differt. *Vegetabilibus* annumero, quod structura externa, &, quantum videre licet, simul interna svadet: *marinis* annumero, quia ex eodem strato erutum hoc, quo consepulti sunt quamplurimæ Turbinatæ, Conchitæ, Nautilitæ &c. Conf. Dn. *Scheuchzer.* Lithograph. Helv. fig. 57. f. 6.

§. XLVI.

Tab. III. fig. 7. Fossile Querf. ex arenofodinâ erutum. Unicum est, quod ad manus meas pervenit, ideò ære communicavi. Quamvis ad *corallia non pertineat, inter corallia tamen repertum*, & simul testis originum marinarum socius est. Non nisi quantitate differt a fossili f. 7.

TAB. III. f. 7. Dn. *Scheuchzeri* fig. 88. p. 66. Lithograph. Helv. Quod pro *particulâ caudæ cujusdam piscis habet autor eruditissimus.*

§. XLVII.

f. 8. Tab. III. fig. 8. An vegetabilibus *marinis* sit annumerandum, non æquè constat. Reperitur in stratis saxosis petrifactum: in arenosis putridum & friabile, *hîc & illic inter pelagia.* Vir quidam experientissimus pro *Amianto* habet, sed subdubius. Verùm quo minus assentiar, obstat *locus cum marinis communis, putredo, friabilitas.* Mihi videtur *corallion* esse generis *lignei* placenti-formis. Salvo tamen aliorum judicio. Posito hoc, vindicandum esset speciei, tabulæ II. fig. 5.

§. XLIIX.

f. 9. Tab. III. fig. 9. Querfurtense fossile. Ut in classes *corallinas collocem*, svadet *cortex* perniger & castaneus. *Nucleus fibratus* & reliqua structura. Inferior ac superior pars dilineata est.

§. XLIX.

f. 10–12. Tab. III. fig. 10. 11. 12. *Idem vegetabile, olim marinum.* Num. 10. inferior seu radicalis pars, quâ insedit ante diluvium in loco quodam *pelagio.* Num. 11. superior pars *corticata.* Num. 12. lateratim seu obliquè delineatum, ut hâc situatione *crassities* judicari possit. Lit. a. *cortice* caret, *relicta in saxo*, cum exsolvebatur.

Cap. IV.

De lapide corneo, ſpecie corallinâ, Horn- oder gemeinen Feuer-Stein.

§. I.

Si quis, tria ante ſecula, ſub *faſtoſâ* Scholaſticorum Dictatura aſſeruiſſet: Lapidem corneum, ex diluvio tranſvectum, eſſe ſpeciem *corallinam*, caviſſent ſibi à Schiſmate philoſophico & aſſertores indignisſimos judicaſſent mitræ magiſterialis, quâ nemo, in verba magiſtri noſtri jurans, carere potuerit. Verùm hoc ſeculum, in libertatem vindicatum ſvadet: *Plus ultra phyſicum.* Dies diem docet & ſedulis ingeniis indies ſe obvertunt inexpectata. Semper aliquid novi vel noviter detecti, non in remotâ tantum Africâ: ſed etiam Germaniâ, imò ubivis locorum. *Non deficiunt curioſa, ſed curioſi.* Quamplurima tamen reſervantur ſagacitati ac induſtriæ nos ſepelientium, ac extremæ poſteritatis.

§. II.

Diverſæ ſunt lapidum *ſpecies*, quæ Pyritarum nomine veniunt, quorum recenſio ſupervacanea, peti tamen poteſt è tractatu *Georgii Fabricii* de rebus metallicis p. 75. ſeqq. aliisque. *Morbodæus* Gallus, in tractatu de lapidibus, anno 1539. ab *Alardo* Amſtelodamo cum gloſſis edito, diverſis in locis *corallii mentionem facit nomine Pyritæ*, e. g. num. 974. num. 978. Sed quid ſibi velit, ignoro. Non enim ſum Oedipus. Adeat autorem Lector, ſi libet.

§. III.

Quæ veterum mens de hâc Pyritarum ſpecie fuerit, minus laboro. Hiſtoriam enim retexere, non vacat. Paucis me expediam Pyritæ culinaris ſ. *lapidis cornei* nomine, noſtris potiſſimum regionibus, lapis indigitatur, ſtructuræ variæ, *longæ*, latæ, denſæ, *rotundæ*, *ramoſæ quoque, ad modum aliorum coralliorum.* Coloris nigri, ruffi, *cor-*

nicoloris, crocei, lividi, interdum foris albidi. Vocatur aliàs *saxum* cornutum, lapis cornuus, Horn-Stein, noſtratibus Feuer-Stein, Flinten-Stein. Cornuus, quia cornu refert. *Pyrites*, quia ad eliciendum ignem adhibetur. Reperitur in arenoſodinis, ſtratis cretaceis, agris denique & ad flumina, &c.

§. IV.

Priusquam me ad demonſtrationem originum corallinarum accingam, præmittenda eſt foſſilis hujus recenſio ſufficiens. Hæc etenim *non negligenda aſſerti argumenta ſuppeditabit.* Pictor, orator expeditiſſimus eſt. Multa paucis, anguſtis auguſta eloquitur. Ideò & ære & pennâ recenſebo Pyritas curioſiores Muſeoli mei, *paucis aliis* in ſubſidium accerſitis. Advertat ergo Lector animum Tabulis IV. & V. huic lapidi corneo deſtinatis.

§. V.

TABULA. IV.

TAB. IV. fig. 1. Tab. IV. fig. 1. *Corallia ſubtiliſſima* (flores corallinos dixerim) in *maſsâ lapideâ* ex arenoſodinâ prope Querf. eruta. Literâ a. a. apparent *ramuli corallini* partim punctati, partim poroſi. Literâ b. b. *placentæ corallinæ* ſe offerunt, vel ſi mavis, reticula marina tenuiora. Non diffiteor omnes hoſce delicias ſculpello ſatis exprimi haut potuiſſe, *nimis enim ſubtiles ac delicatulæ* ſunt.

§. VI.

f. 2. Tab. IV. fig. 2. *Ramulum* hunc ope microſcopii, *ſeorſim* exhibendum curavi, ad figuram enim primam pertinet. Juſto major delineatus eſt, *ut accuratius videri ac judicari poſsit.*

§. VII.

f. 3. Tab. IV. fig. 3. *Ita quoque* comparatum eſt cum *reticulo hoc corallino.* Cavum atque poroſum eſt, & *ſeorſim* delineatum, *juſtoque majus*, ut oculis, etiam *ſine armaturâ, pateat.*

§. VIII.

§. VIII.

Tab. IV. fig. 4. 4. 4. *Ramuli* corallini porosi, punctati, exsoluti è lapide corneo, vi acris, ut credo, exeso. *Elegantiam horum* penicillo satis adumbrare non valuit pictor, cætera diligentissimus. TAB. II. f. 4.

§. IX.

Tab IV. fig. 5. *Truncus lapidis cornei*, ramis præruptis ac concavis, in cavitate albicantibus. Circumvestitus quoque cretaceâ vel calcariâ crustâ. Repertus in vicinià nostrâ. f. 5.

§. X.

Tab IV. fig. 6. *Fragmentum lapidis cornei*, ramis subnigris & punctatis. E vicinià nostrâ. f. 6.

§. XI.

Tab. IV. fig. 7. *Truncus* ex utraque parte præruptus, striis eminentioribus. Luridus est, & cretaceâ circumdatus veste. f. 7.

§. XII.

Tab. IV. fig. 8. *Lapis cornuus ramulis ac globuli punctatis*, sibi invicem adunitis. Tales globuli inter corallia alba marina in officinis reperiuntur: Ideo de naturâ hujus fossilis corallinâ minus dubitandum. Globuli, *tumorum instar*, præeminent. Ad manus meas non ita pridem globulus alius pervenit. Divisi in partes, ac vidi *interiorem structuram porosam ac pellucidam, ad modum bullularum saponariarum*, wie Seiffen-Gesicht, sehr klein und durchsichtig. f. 8.

§. XIII.

Tab. IV. fig. 9. *Lapis corneus, reticulo marino*, s. Reteporâ ac Eschará, ut alii loqui amant, obductus. f. 9.

§. XIV.

Miraris forsan, Lector benevole, Pyritas nostros culinares, coralli-formes? Flores in Pyritâ corallinos? tot & tàm varios? ramosos? porosos ac punctatos? globosos? vaginiformes? retiformes? Noli mirari! *Curiosiora* sequentur. Pyritæ hi culinares s. Lapides cornei intra se continent partes verè *animales*: animalium *marinorum*: marinorum *rariorum*: maris à nobis *remotissimi*. Recordare, quæ tibi

TAB. IV. fig. 9. supra cap. II. §. 21. 22., in aurem quasi, dixerim: Corallia scilicet ab initio esse *mollia* & suis incrementis investire atque recondere illa, quæ proxime adjacent. Meditare itaque sequentia.

§. XV.

f. 10. Tab. IV. fig. 10. *Lapis corneus*, cui impressa olim fuit *domuncula colliculosa ac gibbosa echini marini.* Colliculi Zonati, in quibus olim *aculei echinini* insederunt, ex impressione sat clarè conspiciuntur. Cimelion hoc ære communicat *eruditissimus Mylius* in Memorabilibus Sax. subterr. Part. II. *quo libro nemo nostrorum Lithophilorum facilè carere poterit.*

§. XVI.

f. 11. Tab. IV. fig. 11. *Fragmentum, ejusdem impressionis ac effigiationis.* Dono mihi concessum à Dn. *Wagnero*, Past. Röblingensi ad lacum salsum Comitatûs Mansfeldensis.

§. XVII.

f. 12. Tab. IV. fig. 12. Alia *impressio concava domunculæ cujusdam echinæ.* In confinio nostro hoc fossile repertum.

§. XIIX.

f. 13. Tab. IV. fig. 13. *Alia echininæ ædis, & quidem scutellatæ impressio concava*, ubi quædam *scutella* simul & *vertebræ nodosæ sat convenienter* impressæ conspiciuntur. In confinio nostro prope Schaf-see, prædium *illustris Domini à Letmat* reperta.

§. XIX.

f. 14. Tab. IV. fig. 14. Diversæ speciei *echininæ impressio convexa in lapide corneo*, ibidem reperto.

§. XX.

f. 15. Tab. IV. fig. 15. Hunc *lapidem corneum omnibus* forsan *anteponet* Lector curiosior. *Integer & elegans* in illo reperitur *Echinites.* Me præeunte, à filio natu minore, ad fissuram montis, bey einem Wasserschluff, observatus. Post aliquot menses alium ejusdem magnitudinis ac integritatis acquisivit.

§. XX.

§. XXI.

Tab. IV. fig. 16. *Particula aculei echinini albidi ac nodulis instructi in lapide corneo*, satis conspicui. TAB. IV. f. 16.

§. XVII.

Tab. IV. fig. 17. *Loculus in Pyritâ*, *mirè pulcer*, cui *aculeus* seu radius *Echini* figuram suam exactissimè inpressit & reliquit. Lit. a. *massula saxea præeminens* ac *apicata*, efformata (quod probè notandum) in concavo *istius aculei*, im Grübgen des Stachels, in quo olim insedit ac adhæsit colliculo echinino crustaceo, da es auf der Spitze des Hückels aufgesessen. Hoc tamen monendum, auxiliis *microscopicis*, majori forma, me jubente, delineatum esse. Aliter enim visu vix ac ne vix quidem capi potuisset. f. 17.

§. XXIII.

Tab. IV. fig. 18. *Impressio conchulæ marinæ striatæ.* Tales lapides sagacioribus non raro se offerunt. Plus quam decem ego collegi & amicis concessi. f. 18.

§. XXIV.

Tab. IV. fig. 19. *Lapis corneus Belemnitem* in se continens, quem crescendo cooperuit. Ipse Belemnites lit. a. cavitatem *conicam*, litera, b. *spinam medullarem* circumcirca *radiosam* oculis exponit. Non procul hinc in Langen-Eichstätt repertus est, quem benevolentia Dn. *M. Rammoldi* P. L. C. felicissimi ac Pastoris ibid. meo museolo concessit. Hic, profectò, lapis cornuus *testis est asserti nostri non contemnendus & ludiones ludens.* f. 19.

§. XXV.

Tab. IV. fig. 20. 21. Utraque facies, antica & postica *coralliii latiformis*, striati, punctati, nodosi, fuscidi, &, ni fallor, olim coloris rubri. E vicinià nostrâ. Enodavi è lapide corneo in calcem ferè redacto. Elegantià characteris corallini exsuperat corallium Luidii, num. 92. Tab. II. Lithophylac. *Britannici*, quantùm ex æreâ descriptione judico. f. 20.

§. XXVI.

Dudum consignatâ Tabulâ præcedente, Dn. Frid. Ottomar *Biering*, Islebien-

Islebiensis, Dn. *Vollradi*, Pastoris apud Esperstadienses emeriti Adjunctus fidelissimus, meum visitavit museolum, & ut Vir ingeniosus ac alacris, huic studio auxiliatrices manus mihi promisit, in Senium declinanti. His promissis stans primitias, lapidem scilicet corneum, coralliis subtilioribus mirè refertum & à se ipso acquisitum obtulit ac instigavit, ut hanc quintam adderem tabulam & *curiosiora* hujus lapidis communicarem. His insuper, *ejusdem commatis* inserui, quæ ab aliis amicis transmissa sunt.

§. XXVII.

TABULA V.

TAB. V. fig. 1. Tab. V. fig. 1. *Echinites*, quin potius *massa corallio-stlicea*, quâ exuviæ echininæ repletæ fuerunt, nunc exsoluta. *Marchiæ* mediæ hunc echinitam debemus, transmissum ab amico meo sincero, *pientissimo Dn. Elia Mathiæ*, Pastore in Pötzsin & Roskau, prope Spandau. Exiguum est, quod differt ab *Echinitâ*, quem *Rumphius* in insulâ Amboynâ acquisivit, *testemque Diluvii universalis* produxit.

Amboyn. Raritäten-Cammer Tab. LIX. num. E.

§. XXIIX.

f. 2. Tab. V. fig. 2. *Impressio aculei echinini* in lapide corneo, striis, non nodulis instructi. E viciniâ nostrâ.

§. XXIX.

f. 3. Tab. V. fig. 3, *Eadem impressio* aculei, sed nodulis ac striis simul instructi. E viciniâ.

§. XXX.

f. 4. 5. Tab. V. fig. 4. 5. *Impressiones in lapide corneo, exuviarum echininarum* diversæ speciei. E viciniâ.

§. XXXI.

f. 6. Tab. V. fig. 6. Fossile *speciei cujusdam echininæ, Prope Querf.*

§. XXXII.

f. 7. Tab. V. fig. 7. *Impressio colliculi echinini.* Ex agro Lipsiensi Dn. *Leupold, Mathem.* Lips. acquisivit & communicavit.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Tab. V. fig. 8. 10. 11. *Ramuli corallini in lapide corneo* communicato per Dn. *Biering* & §. 26. commemorato. Striæ *ſubtiles ac elegantiſſimæ* ſat teſtantur de *naturâ corallinâ*. Quidam ramuli, quâ craſſitiem, conveniunt cum *pennis anſerinis*. TAB. V. f. 8.10.11.

§. XXXIV.

Tab. V. fig. 9. *Ramulus* præciſus, *prædicti lapidis* cornei, partim ſtriatus, partim punctatus. f. 9.

§. XXXV.

Tab. V. fig. 12. 13. 14. 15. *Ramuli corallini ejusdem lapidis*, poris, in modum gyri ac Zonulæ inſtructis. f. 12-15.

§. XXXVI.

Tab. V. fig. 16. 17. *Reticula marina* in eodem lapide corneo. Differunt quodammodo inter ſe. f. 16.17

§. XXXVII.

Tab. V. fig. 18. *Antholithos* ſ. *articulus radii ſtellæ marinæ*, ut videtur, in lapide corneo impreſſus, Prope Querf. f. 18.

§. XXXIIX.

Tab. V. fig. 19. *Impreſſio Aſteriæ* ſ. articuli ſtellæ marinæ in lapide corneo. Ex agro Lipſienſi. f. 1.

§. XXXIX.

Tab. V. fig. 20. Impreſſio ſic dicti *lapidis judaici in pyritâ culinari*. f. 20.

Notandum: In noſtris arenofodinis *tales lapides judaicos inter multa alia pelagia* paſſim reperiri, quæ *magnitudinem piſi vix* excedunt. Cætera, indole ſeleniticâ gaudent & obliquè ſeu decuſſatim findi poſſunt, ut vulgares. Delineandum curavi fig. 21. f. 21.

§. XXXX.

Tab. V. fig. 22. *Conchites ſtriatus candidus*, indolis corallinæ. Ex utrâque parte *ſat elegans*. f. 22.

Cap. V.

De origine ac naturâ coralliorum fossilium.

§. I.

Nullus dubito, quin omnes, quibus usus rationis integer & à præconceptis liber, hac capitum III. & IV. recensione *ingenuâ ingenuè* admissâ ac pensitatâ, ejuraturi sint lusus, opprobria rationis, & abituri in nostram sententiam, nimirum: hæc corallia fossilia esse originis ac naturæ corallinæ. Id sane eo liberius, cum *corallia status primi ac integri*, quorum, capite II. recensio facta, *juxta nostra fossilia posuerint & conferendo examinarint.*

§. II.

Accingimus itaque nos ad demonstrandam horum non tantùm naturam corallinam, sed etiam ad *eligendam* methodum, quâ inquisitio ac demonstratio fieri debeat. Constat enim, quosdam, lectâ falsâ methodo, incidisse in Scyllam, cum Charybdin fugerint.

§. III.

Summus ac sapientissimus Essentiator omnia, quæ in hoc globo terraqueo existunt, *ordine & ordini* creavit, cunctaque creata hodienum ita conservat. Paucis me expediam. Accommodum locum non solùm animalibus, sed etiam vegetabilibus, tum generationis, tum habitationis, unà cum generandi ac nutriendi mediis & subsidiis ibidem reperiundis destinavit. *Solidum ac fluidum proprios sibi vindicat cives.* Quoquo oculos vertemus, evadent hi in testes sat graves, aggredientur nos contradicentes, & constringent.

§. IV.

Idem obtinuit Restaurator benignissimus *post* catastrophen illam aquosam. Deterior quidem, non alia facta est terra: Alterata, non penitus altera: monstrosa, non nova. *Mansit & adhuc durat ordo ortûs & nutritûs: mediorum & habitaculorum:* apud animalia & vegetabilia: terrestria ac aquatilia; *Sine mixtione ac translocatione.* Aquatilia non

non terram: terrestria non aquam agnoscunt pro loco *generationis, habitationis ac nutritûs.*

§. V.

Verùm enim verò reperiuntur & animalia & vegetabilia, & marina & terrestria, in sinu terræ, germanâ ac genuina mineralium matrice. Quæritur ergo: an pro veris animalibus ac vegetabilibus sint habenda? potissimum, cum *civitate regni mineralis fuerint donata* i. e. petrisacta, mineralisata, &c.

§. VI.

Nova hinc oritur quæstio: Quibus notis characteristicis hæc animalia ac vegetabilia vera à veris ac propriis regni mineralis subditis dignoscenda sint? Quidam, ut originem ac naturam animalium & vegetabilium in terra reconditorum scrutentur, & hæc à mineris discernant ac separent, *methodo utuntur chymicâ*, inquirendo in internas qualitates. Alii subsistunt *in externo charactere, nimirum effigiatione mechanicâ seu structurâ aggregativâ.*

§. VII.

Tutissima via est posterior, nec tamen, si libet, negligenda penitus inquisitio per Pyrotechnian.

§. VIII.

Methodum chymicam elegit, minimè rejectâ nostrâ methodo, Dn. Lic. Ioh. Samuel *Caroli*, Medicus *quondam* Oeringensis, scrutando internas ossium fossilium Canstadensium qualitates. Quod *non infeliciter* cessit.

§. IX.

Ast enim hujus examinis *non æque indigent* fossilia olim submersa, multo minus *omnia & semper, neque semper & in omnibus proficui.* Quod sibi notent, qui Pyrocriticam, *exclusâ* altera methodo, pro sedente Judice *unicè* agnoscunt. *Aliter* enim fossilia se omnino haberi coguntur pro ratione strati ejusmodi, *strati*, inquam, *quo sepulta.* In humidis enim putrescunt facile. In porosis, e g. arenosis ac tophaceis, calcinationem subeunt. In solidioribus adimplentur *succo crystallino ac aliis mineralibus.* Hos etiam succos varios & vagabundos *inbiberunt*

inibi. Ideo *alias* qualitates, quam *connatas* proprias, reperiet Chymicus, potissimum in petrifactis ac mineralisatis. Nimiâ igitur confidentiâ fallitur & fallit, in sui & suæ artis opprobrium, *pro nudâ minerâ reputans mineralisatum, & pro lapide nudo petrifactum.* Non aliter, ac si quis corpus *humanum* glaciatum, neglecto charactere externo, i. e. structura *humanâ, pro nudâ glacie,* ac si glacies *tantum* humanam figuram *induisset*, venditare velit. *Delabitur itaque in lusus: Ludio in vitium: Vitiosus in inquisitionem, ipse ante inquisitor chymicus.*

§. X.

Lignum fossile sit nobis exemplo. Non rarò alumine imprægnatum. Quale Dubiense in Misniâ & à Dom. D. *Wolfio*, Medico Dubiensi, mihi benevolè transmissum. Hoc verum ac genuinum esse lignum *structura, pectines scil. fibræ, nodi, levitas aliaque attributa* abunde docent. Idem testatur experientissimus Physicus ac Chymicus Dn. D. *Stahlius*, quocum de hoc lignô communicavi. Aliud bitumine turget, ut Meuselvicense in Misniâ. Lignum subterraneum Hassiacum argento dives Excell. Dn. *Iob. Iac. Beyer*, Med. Prof. publicus in Altdorfina, pro gratioso in me affectu, non ita pridem transmisit. Ante aliquot etiam menses per manum celeberrimi Mathematici Dn. *Christiani Wolfii*, Mathes. Professoris in academia nobis viciniss imâ, Hallensi, ad me pervenit lignum ♂te imprægnatum, cujus mentionem faciunt Magnifici Actorum *Lipsiensium Autores*, a. 1710. p. 484. Iurasses, martem *non in esse, sed esse*, nisi character *dendricus aliud & melius* svaderet.

§. XI.

Testis omni exceptione major est lignum in confinio nostro prope Sittichenbach, Holdenstædt ac Bornstædt erutum. Regno olim vegetabili subfuisse confirmat *tota structura, cortex, truncus, rami, radices, nodi &c.* Nec tamen tractui huic subterraneo arbores desunt, *ponderosissimo Vitriolo ac interdum ♀e repleta, quæ fissa vel decussatim disrupta inexpertis avidentur.* Glockenspeise, Kupffer-Sau. Verum in aërem per aliquot menses, potissimum *humidiores*, exposito ho ligno, Vitriolum latitans, ut sorex, se prodit. *Egreditur foras, in flo-*

res

res se colligit, tandem avolat. Structura dendrica apparet, sed lacera, quæ postmodum in favillam albidam abit. Quod probè notandum

§. XII.

Non ita procul à Sittichenbach versus Septentrionem in Comitatu Mansfeldensi reperiuntur arbores *eodem* fato consepultæ, *ferè integræ*, utut subnigræ. Fructum hujus ligni concessit Dn. M. *Ioh. Erdmann Bieck*, V. D. Min. Islebiensis vigilantissimus, beati Dn. *Nicol. Voigtelii*. Præfect. metallurgic. (Berchenbuers) Gener. Miraberis, Lector, in pectinibus ac fissuris *veram & flavidam resinam, etiam attactu dignoscendam*. Si accenditur, illico flammam concipit, *expellentem* resinosa copiosiora. Odor non adeo differt à *Succino* s. capite *mortuo* succini. Obiter hoc addam, quod facta succini odoris mentione, memoriâ repeto. In hoc tractu versus septentrionem prope Sangerhusam, non tantum *eadem strata arborea* reperta fuisse, sed etiam *verum ac genuinum succinum* in *argillofodinâ*, cujus Succini particulam ex liberalitate Dn. *Stockii*, chirurgi nostri civici possideo. Sed redeo in viam.

§. XIII.

Ex his omnibus constat, *qualitates has internas*, e. g. Lunæ, Martis, Vitrioli, Aluminis &c. *non esse connatas*, sed post submersionem *acquisitas*. Vapores enim *minerales permeaverunt* non tantum, post diluvium, strata ipsa terrea, sed & *omne id, quod in his offenderunt*. Prolixiorem demonstrationem reservabimus Physicæ diluvianæ, σὺν Θεῷ edendæ. Propterea hæ internæ qualitates *de origine ac natura ligni hujus minimè* testari possunt.

XIV.

Tibi ergo serva artem, Chymice, *cætera nobilissimam*, ne tuus *abusus* proprietates ligni connatas ac characteristicas magis destruat, quam doceat. *Insto*. Collige crania bovina, elephantina, caprina, crocodilina & alia. Fac periculum. Immitte igni, ut debes ac soles, prudens. Dirige, adauge, subtrahe flammas. Inquire in salia. Dic, sodes, ex his productis chymicis *cujuslibet* animalis discrimen *specificum*, quod tamen *vel sola* consideratio *structuræ aggrevativæ* te docere poterit.

Tergiversaris? Vereor, ne *solâ* methodo chymicâ carbones, operam ac brabeum perdideris, imò simul *machinam animalem destruxeris.* Ideo etiam nostra fossilia, ut alia submersa, à mineralibus *optimè, imò unicè*, discernuntur notis characteristicis *externis*, *quibus ipse creator ab aliis aliisque distinxit in creatione.*

§. XV.

Nullum unquam minerale, verum scilicet ac genuinum, gaudet tali charactere : multo minus specifico : multo minus constante ac perpetuo per tot millia individuorum. Terra, lapides, mineræ sunt compages incertæ, inconditæ, variæ ac mutabiles. Nec Aurum, Luna, Antimonium, &c. quando adhuc residunt in terrâ vel petrâ, semper & accuratè distingui possunt. Inde sequitur : *Nullum fossile characteris animalis ac vegetabilis, veri ac perpetui, est originaliter minerale, sed petrefactum, sed mineralisatum &c.*

§. XVI.

Hoc *axiomate* præmunitus ante sex annos & quod excurrit, horis *mihi recreando relictis*, studium hoc lithographicum, *vel tyro*, sum aggressus, nec tamem infeliciter, utpote qui nunquam experientissimos chymicos *dissentientes* fuerim expertus, quod diversis horum literis comprobare possem, nisi modestia speciem ostentationis evitandam svaderet. Et hôc quoque discursu supersedere potuissem, nisi *quidam*, Chymiâ abutentes, dicam mihi scribere & hanc artem tanquam *unicam ac supremam judicem sedentem, obtrudere* voluissent.

§. XVII.

Idcirco *tantùm ex structurâ* coralliorum *marinorum*, tanquam notis characteristicis *certissimis*, nostra judicemus fossilia, *non igne chymico.* Et hoc eo magis, cum ipsa corallia *marina* magis accedant ad naturam *lapidum.*

§. XVII.

§. XVIII.

In limine quoque inquisitionis in memoriam revocandum est, quod antea monui: scilicet plures *fossiles* reperiri coralliorum species, quam *marinas*. *Copiosiores* enim in illo *diluvio universali ex altâ abyssо* eructatæ fuerunt, quam *ordinariâ* maris revolutione ac æstu, vel urinatorum *audaciâ* vel alio *casu* extorqueri, protrudi vel exportari ac colligi minimè possunt. §. XIX.

Nunc aggrediamur *ipsam collationem fossilium cum marinis*.

Necesse est, corallia marina in *basi* quadam *radicali inhærere ac innutriri* saxosis.

Ita quoque (1) comparatum est cum fossilibus. Hoc docet fossile Silesiacum Tab. I. fig. 3. a. a. Solus cœcus non videt orificium (licea ita loqui) quo exsuxit olim incrementum, non secus, ac fungus terræ affixus. (1)

Idem innuit fig. Tab. I. Radices quidem impetuosa inundatione sunt præfractæ, vel etiam in statu depravato exesæ ac consumtæ. Centrum tamen quasi radicale s. umbilicus, ex quo in peripherian diffunduntur fistulæ collaterales, abunde nos docet de insitione primigenia.

Idem testatur Tabulæ I. fig. 7. Confer. Tab. IV. fig. 1. & 8.

§. XX.

Supra cap. II. §. 20-22. ostensum, *oriunda* corallia marina esse *mollia*. (2)

Neque (2) hæc mollities nostratibus deneganda est. Ab *origine mollia fuisse* ex tota structura demonstrari potest. Tab. I. fig. 1. 3. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Tab. II. fig. 6-9. 15. 16. Tab. III. fig. 3. 4. Videmus enim partes ac fistulas *prioribus novas* ac socias, secundum indolem marinorum exortas. Confer omnino cap. sequ. §. 9. de mollitie originali lapidis cornei.

§. XXI.

Primi coralliorum generis character genuinus est indoles *dendrica*.

Ita ac taliter (3) characterisata reperimus quædam fossilia, & quidem non unius speciei, sed plurium. Tab. I. fig. 14-19. Tab. II. fig. 5. Tab. III. fig. 8. (3)

§. XXII.

§. XXI.

Secundum marinorum coralliorum genus est *saxosum*, de quo fusè egimus cap. II.

(4) Et hoc genus reperitur (4) fossile. Quod comprobant Tabulæ I. fig. 1-6. 8-13. Tab. II. fig. 1-4. 6-13. 15-21. Tab. III. fig. 2-4. Excipere quis possit, intra terram esse petrificata. Huic respondetur: (*a*) Reperiri quoque in arenofodinis, ubi immersa magis in calcem redacta, quàm lapidem: (*b*) Inter corallia dendrici generis, non petrifacta. (*c*) Et si revera in saxum degenerassent, quid tum? Sequeretur è genere dendrico olim fuisse.

§. XXIII.

Ramosæ dantur coralliorum marinorum species. Vid. cap. II.

(5) Etiam terra (5) post diluvium has species communicat. Tab. I. fig. 5. 8. 9. Tab. II. fig. 1. 2. 13. 8. 9. 18.

§. XXIV.

Corallia quædam marina sunt *truncata* seu *ramis destituta*.

(6) Neque hâc specie carent (6) *fossilia*. Tab. I. fig. 1. 4. 9. Tab. II. fig. 1-4. 10. 11. 17.

§. XXV.

Corallia quædam *marina* sunt *nodosa*, instar Galangæ. Knotig, wie Galgant.

(7) Et hanc speciem, (7) enumerant *fossilia*. Tab. I. fig. 4. 18. Tab. II. fig. 1. 2. 11. 12. 17.

§. XXVI.

Corallia quædam *marina* superbiunt *gyris elegantioribus*.

(8) Neque hoc decore (8) destitutæ sunt corallia *fossilia*. Tab. II. fig. 1. & 2.

§. XXVII.

Corallia *marina* sunt *interdum striata*.

(9) Et hæ striæ, (9) conspiciuntur in *fossilibus*. Captiva quamvis, hunc tamen mundum in immundo subterraneo mundo retinuerunt. Tab. I. fig. 9. Tab. II. fig. 1. 2. 15. 19. 21.

§. XXIIX.

§. XXIIX.

Corallia quædam marina sunt *punctata.*

Quædam *fossilia*, (10) non aliter sese habent. Tab. I. fig. 2. 8. Tab. II. fig. 16. Horum *puncta* interdum adeo *subtilia*, ut armaturâ oculorum indigeant, imprimis in lapide corneo. (10)

§. XXIX.

Quædam *marina majoribus ac minoribus poris* sunt instructa.

Neque hi (11) desunt *fossilibus.* Porositatem docent Tab. I. fig. 6. 17. Tab. II. fig. 6. 7. 9. 14. 16. 19. 21. (11)

§. XXX.

Quædam marina sunt *fistulosa*, horumque diversæ species.

Itaque *nostra* (12) à naturâ primitus sunt elaborata: quorum fistulæ, nunc, maximam partem, succo petricoso sunt repletæ. Tab. I. fig. 1. 3. 10. 12. Tab. II. fig. 12. 13. 9. 21. (12)

§. XXXI.

Structura quarundam fistularum corallinarum repræsentat *jubar stellatum.*

Neque *nostræ*, (13) hoc jubar, in locis quamvis squalidis, penitus amiserunt. Stellæ enim majores, minores in illis conspiciuntur. Tab. I. fig. 7. 14. 15. Tab. II. fig. 5. 13. 14. Tab. III. fig. 2. 3. 4. (13)

§. XXXII.

Coralliorum quorundam marinorum species *constructis & collateraliter adunitis fistulis* inveniuntur.

Ita quoque (14) se quamplurima habent *fossilia*, quod *non obscurus naturæ ac originis corallinæ character* est. Tab. I. fig. 1. 3. 10. Tab. II. fig. 1. 2. 8. 9. 15. 16. Tab. III. fig. 3. 4. (14)

§. XXXIII.

Quædam corallia marina sunt *globosa*, *gibbosa*, die wie Kugeln, Höcker, dicke Schwämme ꝛc. aussehen.

Has quoque species (15) videmus *fossiles.* Tab. I. fig. 1. 3. 7. 10. 11. Tab. II. fig. 6. 7. (15)

§. XXXIV.

Quædam marinorum ſpecies *ductibus erroneis &c.* eſt inſtructa, ut *Batu Parudan* Indis dicta.

(16) Hanc quoque ſpeciem (16) Sileſia nobis obtulit *foſſilem.* Tabulæ I. fig. 11.

§. XXXV.

Quædam marinorum ſpecies ſunt *placenti-formes ſeu preſſæ.*

(17) Hæ quoque ſpecies (17) *è ſtratis terreis* depromuntur. Tab. I. fig. 14-17. Tab. II. fig. 8. 9. 15. 16.

§. XXXVI.

Quædam globoſæ *marinorum* ſpecies ſunt *fiſtulis ſ. tubulis* inſtructæ.

(18) Hæ fiſtulæ (18) itidem apparent in *foſſilibus globoſis.* Tabul. I. fig. 1. 3. 10. Tab. II. fig. 8. 9.

§. XXXVII.

Quædam marinorum ſpecies eſt *mitriformis.* Vid. Relat. Indic.

(19) Hanc *foſſilium* ſpeciem (19) exhibet fig. 3. & 7. Tab. I.

§. XXXIIX.

Quædam ſpecies marina oſtendit *fiſtulas ad certam profunditatem excavatas.*

(20) Et hanc ſpeciem de *complexu profundo*, (20) *ad ſuperficiem terræ rapuit cataclyſmus.* Tab. I. fig. 7. 12. 13. Tab. II. fig. 5. n. 12. 13. Tab. III. fig. 2.

§. XXXIX.

Inquiramus inſuper in *interiorem ſtructuram.* Marina quamplurima ſunt *ſpongioſa.*

(21) Hanc quoque *ſpongioſitatem* (21) *in nonnullis foſſilibus* conſpicimus. Succus enim petricoſus, vel ſi mavis, cryſtallinus, cui nihil non pervium, quædam corallia *foſſilia intacta* reliquit. Hoc teſtatur Tab. I. fig. 12. 13. Facies externa f. 12. tubuloſam ſtructuram clarè monſtrat. Verùm habitudo *interna* fig. 13. poſtquam diſſecui hoc *foſſile, cancellatam ac reticulatam ſpongioſitatem* manifeſtè teſtatur. Hanc internam ſtructuram crebriùs reperimus in *foſſilibus* generis *dendrici.* Tab. I. fig.

fig. 14. 15. 16. Tab II. fig. 5. Potissimum Tab. II. fig. 12, 13. *internam* structuram *concavam*, ore hiante deprædicat.

§. XL.

Adesdum *Archeista*. Crea *noviter* naturam subterraneam. Manda insigniri amplissimo nomine: *Corallio-litho-dendrico-geneticam*. Adesdum *Iconomystes*. Fac juramentum credulitatis in tuæ phantasiæ ludibria. Enumera mulierculas infantigeras, Apollines Musis circumdatos. Sed *desine pro opere naturæ mimulæ hæc fossilia* venditare, qua notas corallinas sat conspicuas tibi generose obvertunt. Impossibile est, *& si darentur lusus*, his annumerari posse nostra fossilia, *tot fabricarum*, & quæ & *internam & externam* structuram, aliasque proprietates *exactissimè* referant.

§. XLI.

Pro origine ac naturâ corallinâ non leve argumentum, quamvis extrinsecum, est, quod nostra corallia *fossilia* (22) *pro diversorio agnoscant strata super strata materiei mari propriæ, fluctuatim superinvectæ*. Sed de his fusius cap. VII. agam. (22)

§. XLII.

Ejusdem valoris argumentum extrinsecum est, (23) reperiri corallia *fossilia inter fossilia originis marinæ socia*, idem experta fatum diluvianum. Non unum vel alterum, sed quamplurima marina admixta sunt. *Non incertæ dubiæque* fidei, sed *veræ ac genuinæ* marina, labris ac tonsoribus nota & [illegible] ab experientissimis Physicis *pro veris agnita*. Tot species conchyliorum, murices, turbines, ostreæ, Antalia, Nautili, Echini marini, articuli stellarum marinarum, dentes lamiarum, mandibulæ, vertebræ, scapulæ aliaque ossa crocodili marini. Dubitas? Ad manus sunt, & *conspectui tuo prostabunt*. Credas, Lector ingenue, conchylia ex arenofodinis, ubi & corallia sunt depromta, monstravi Ludionibus, etiam pertinacioribus. Viderunt. Illico pro veris agnoverunt. Mirati sunt. Vix tamen crediderunt ex arenofodinis, quin potius ex ipsissimo mari esse. Tandem moniti de veritate, imo ipsi accedentes sedem horum submersorum, ac eruentes (23)

talia manu propriâ, utràque manu herbam prorexerunt. Adeo claruit tot fossilium origo ac natura, ex structura s. charactere ferè indelebili.

§. XLIII.

(24) Superpondii loco esto, (24) reperiri quoque marina ut videntur, vegetabilia, *plan è incognita*, quæ in terrestria referri recusant. Tab. III. fig. 8. 9. 10. Conf. Cap. III. §. 48. 49.

Cap. VI.

De origine ac naturâ lapidis cornei corallinâ.

§. I.

Priusquam hoc caput aggrediar, meam ignorantiam, quâ tenebar antea, confiteri cogor, non equidem invitus, ne videar invidus.

§. II.

Cum primum & hos lapides manu menteque movebam, mirabar *frustulatim omnes* inveniri, etiam in stratis *nunquam adapertis vel disruptis*. Structura enim docebat, illos olim fuisse corpora *solida*. Sed quale totum? cujus originis? sali vel soli? hariolari non poteram. Per aliquod tempus plus quam in bivio hærebam. *Tandem truncus* Tab. IV. fig. 5. delineatus, post *alter* Tab. IV. fig. 7. ad manus perveniebant. Augurabar subitò *analogon quodpiam* corallii. Meditationibus *posterioribus* confirmabar. Paulo post, me ad conchylia, Entalia, Glossopetras sic dictas, &c. attento, sese exponebat Pyrites s. lapis *corneus concavus*, fig. I. Tab. IV. designatus, cui, ut mihi videbatur, pulvis calcarius defluebat. Abjiciebam primùm, tanquam rem nullius precii & æstimii. Verùm reminiscendo, vidisse me *præeminentias quasdam*, ilico repetebam. Purgabam adhalando. Visûs debilitati succurrebam armaturâ. Corallia *delicatiora* (flores corallinos dixerim) *ramosa, gyrata, punctata, reticulata, foliacea, non unius speciei* inveniebam mirabundus. His probè pensitatis non potui non in lectâ perseverare sententiâ. Colligebam plura, con-

conferebam inter ſe & cum marinis. Idem docebant. Nunc audeo aſſerere. *Hanc Pyritæ ſpeciem ſ. lapidem corneum nihil aliud eſſe, quam corallion antediluvianum.*

§. III.

In ſpem adducor, etiam Lectorem admiſſis rationibus ſequentibus in hanc quoque ſententiam abiturum eſſe.

§. IV.

Nimis copioſus fui cap. V. in collatione coralliorum foſſilium cum marinis in genere. Nec tamen facti me pœnitet. Hòc enim capite, ſine obſcuritate me breviorem eſſe licet, cum illa, quæ dixi antea, Lectoris animum *præparaverint, ut eò citius percipiat*, quæ de lapidis cornei *origine ac naturâ* ſum diſſerturus.

§. V.

Ante omnia penſitanda eſt *ſtructura*, tum *externa*, tum *interna*, reperiunda in lapide corneo *non aliter*, ac in corallis *marinis*.

En! *truncum*. Tab. IV. fig. 5. 6.

Ramos, Tab. IV. fig. 1. 2. 46. Tab. V. fig. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

Ramos truncatos. Tab. IV. fig. 8. Tab. V. fig. 8. 9. 10. &c.

Cruſtam albidam. Tab. IV. fig. 5. 7.

Cavitatem in præruptis ramis calcariam. Tab. IV. fig. 5.

Reſidentia corallia in lapide corneo, *tanquam matriçe*. Tabulæ IV. fig. 1. 2. 3. 4. 20. 21. Tab. V. fig. 8 - 15.

§. VI.

Videmus corallia

Placenti-formia ac reticulata. Tab. IV. fig. 3. 9. Tab. V. fig. 15.

Fruticiformia. Tab. IV. fig. 1. 4. 6.

Globoſa. Tab. IV. fig. 8. Dum hæc transſcribo, adfertur fruſtum lapidis cornei, in quo globulum *ſpongioſum*, *ſubluſtrem* vel quodammodo diaphanum conſpicio.

§. VII.

Dantur

Ramuli punctati, Tab. IV. fig. 4. Tab. V. fig. 9. 12. 13. 16.

Porosi. Tab. IV. fig. 2. 3. &c. Tab. V. fig. 14. 15. &c.
Striati. Tab. IV. fig. 7. Tab. V. fig. 8. 10. 11.
Gyrati. Tab. V. fig. 12. 14. 15.
Imo nihil desiderari potest in *marinis*, *quod lapis corneus non exhibeat.*

§. VIII.

Audivimus Cap. II. §. 14. num. 5. Corallia marina *in calcem abire.* Sanè & hæc affectio *itidem* reperitur in lapide *corneo*, *quamvis durissimo.* Conf. §. 2. hujus capitis. & §. 25. capitis IV.

§. IX.

Gravissimum argumentum pro origine ac naturâ corallinâ est *mollities originalis.* Mollia primitus esse omnia corallia *marina* demonstravimus cap. II. §. 21. 22. Hanc quoque lapidis *cornei mollitiem* facillimè probabimus. *Circumvestita* enim sunt lapide corneo, olim molli, *animalia marina*, *illorumque exuviæ infarctæ quasi*, *eoque repletæ* conspiciuntur.

§. X.

Echini marini (pro statu præsente, *Echinitæ* dicti) *reperiuntur in lapide corneo.* Tab. IV. fig. 15. Tab. V. fig. 1.
Reperiuntur *aculei echinini* in illo. Tab. IV fig. 6.
Reperiuntur *impressiones exuviarum echininarum.* Tab. IV. fig. 10-14. 17. Tab. V. fig. 4-7.
Reperiuntur *impressiones concharum marinarum.* Tabulæ IV. fig. 18. Tab. V. fig. 22.
Reperiuntur *impressiones articulorum stellæ marinæ* in hôc lapide. Tab. IV. fig. 19. Tab. V. fig. 18.
Quid? quod etiam *Belemnites*, sine dubio particula animalis cujusdam marini, *reperiatur.* Tab. IV. fig. 19.
Ut & *impressiones lapidis judaici.* Tab. V. fig. 20.
Hæc omnia lapidem hunc corneum *intrare vel in illo generari minimè potuerunt.* Certo ergo certius est, animalia hæc, vel potius illorum reliquias corallio hoc *crescibili seu propullulante coopertas & præclusas* fuisse. §. XI.

§. XI.

Audivimus quoque cap. II. § 4. *maris fossam seu domicilium stratis corallinis tanquam pavimento undiquaque obductum, imò strata super strata superimposita* esse. Inde quoque constat in illâ catastrophe stupendâ Erebum s. Abyssum non tantum *concredita evomuisse*, sed etiam ipsa hæc *pavimenta* ingentia, densissima ac latissima, maximam partem, dissiluisse, *simulque in superficiem terræ* translocata fuisse. Nemo ergo mirabitur, cum fragmenta lapidis cornei *majora*, minora, in superficie terræ longe lateque disseminata, sed etiam *intra terram in stratis Angliæ ac Westphaliæ cretaceis ac argillaceis integri ferè parietes* inveniantur.

§. XII.

Nec levioris ponderis argumentum est pro *origine marinâ, comitatus marinus.* In nostris enim arenosodinis lapis noster *mille marinis*, conchyliis rarioribus, antaliis, Asteriis, Belemnitis, Lapidibus judaicis &c. stipatus conspicitur. Noscitur ergo *ex socio*, imo ex se ipso originis marini ac naturæ corallinæ esse. Hæc sufficiant.

Cap. VII.

De sede seu loco deprehensionis coralliorum fossilium.

§. I.

Caput insequens, de *viâ ac vi*, quâ corallia nostra in has regiones mediterraneas ac montosas pervenerint, nos movet, ut de *sede ac loco deprehensionis prius ac curatius* differamus. Hoc enim methodus *naturæ* requirit.

§. II.

Corallia nostra, maximam partem, sunt vel *Silesiaca*, vel *Querfurtensia, vel Lipsiensia.* De aliis enim non tenebor rationem reddere Nihil enim sum asserturus, nisi quod ego vel *autoptes* viderim, *vel fide dignis* relationibus confirmari possit. A Lipsiensibus exordiar.

§. III.

§. III.

Ager *Lipsiensis* fere planus ac diversis fluviis, Giselâ, Elestro ac Bahrâ intersectus. Nec tamen *collibus* amœnis destitutus, qui *extravasationes prædictorum fluviorum rideant.* Ipsa agri superficies *areosa* magis, quàm limosa est, nisi in locis pressioribus. De hoc tractu consului Dn. *Mylium*, qui sequentibus me informavit: Der Ort, wo die Corallen (conf. supra cap. III. §. 9.) gefunden worden, ist allzuhoch gelegen, also, daß ihn Special-Fluten nicht übersteigen können. Und wo dergleichen sich ja ereignet hätten, müste man solches nicht der Pleisse, Elster und Bahra, sondern der Mulda und Elbe zuschreiben. Allein diese sind sehr weit von Leipzig entlegen, würden auch schwerlich Corallen, Asterien und andere Marina mit sich geführet haben. Vielmehr ist vermuthlich, daß etwa vor der Sündflut hierum eine See, auch diese Pflege bewohnt gewesen, weil man bey Ausführung der Keller, in dieser Stadt, dann und wann 5. bis 6. Lachtern tieff Säume in Sand-Bäncken angetroffen. Ja, als man die Börse aufgebauet, hat man im Grunde eine unverwelckte grüne Artischocke angetroffen, welche auch noch auf E. Hoch-Edl. Raths der Stadt Leipzig Bibliothec gezeiget wird.

§. IV.

Arenofodinam Lipsiensem ipse adii, quæ sanè ex *illuviebus particularibus ortum minimè traxit*, ut autopsia docet. Mirè variat *stratis supra strata fluctuatim sibi invicem superimpositis.*

§. V.

Dum hunc agrum cogito, recordor illorum, quæ Dn. *Ramazzani ex Diario Italico D. Montfaucon de situ Mutinensi* refert. A soli superficie, *inquit*, usque ad pedes quatuordecim circiter non nisi cæmenta & *antiquæ urbis vestigia* apparent, in tali enim profunditate *viarum* strata ex siliceo lapide, *artificum tabernæ*, fundamenta *ædium* & opera *tessalata* passim observantur. In quo certe admirari subit, quomodo ad tantam *altitudinem solum excreverit*? Quod, profectò, in id referri

ri nequit, quod urbs ista pluries funditus eversa fuerit, & postea supe: proprias ruinas restaurata, editiorem situm acquisiverit, *eandem enim planitiem & æqualitatem* præferunt *circumstantes agri*, imo urbs ipsa *iisdem aliquando pressior* apparet. Post cæmenta ac rudera, terra se prodit satis *solida & compacta*, *ut terram virgineam* quis crederet, & non multo post nigra & *paludosa* visitur, *palustri arundine* referta. Memini me in uno ex his puteis ad pedum 24. profunditatem *culmen frumentaceum adhuc integrum* observasse, ac in altero in profunditate pedum 26. inventum *coryletum* cum suis *nucibus adhuc incorruptis*, sic *alternatim* ad sex pedes varia observatur soli mutatio, modo albi, modo nigri cum variarum *arborum ramis ac foliis*, quasi lamellis ac foliis superinductis, donec *ad planum cretaceum* deveniatur, quod in profunditate pedum 28. primò conspicitur. Hoc, ubi operarii attigerint, jam securi, ne amplius ab ullo aquæ affluxu perturbentur, fossionem summâ cum facilitate ad imum usque prosequuntur. Hujus strati cretacei moles XI. ferè pedes ac identidem *multis cochlearum testis* referta: illius ergo finis est in profunditate pedum 39. Postmodum stratum aliud *palustre* duorum pedum circiter apparet, ex *juncis*, *plantarum foliis ac ramis* congestum. Ablato à fossoribus hoc palustri strato, stratum aliud *cretaceum* ejusdem ferè molis, ac superius, sese offert, cujus terminus est in profunditate pedum 52. quo strato effosso, rursus stratum *aliud paludosum* priori haud dissimile visitur, quo semoto, denuo aliud stratum *cretaceum* ejusdem naturæ, ac superiora, sed minoris molis ac crassitiei, quàm reliqua duo, & superincumbit alteri strato *palustri*, quod tandem desinit in ultimum illud planum, in quo terebra defigitur, quod planè *molle est atque arenosum*, *multâque glareâ minutâ* permixtum ac *marinis quisquiliis* aliquando refertum; hujusmodi autem stratificatio, his intervallis, tum *benè distincta in omnibus* puteis, tum intra urbis pomœria, quam in suburbanis locis, *constanti ordine ac lege* observatur. Cum sæpissimè in magnos *plantarum truncos* fodiendo incidant, ut non rarò mihi videre contingit; hinc est, quod interdum non exigui laboris putearii sit ipsa terrebratio, quotiescumque in hujus-

modi truncos terebra impingat ; Argumentum *evidens*, *solum illud aliquando aëri fuisse expositum ;* nunquam tamen arborum truncos in stratis cretaceis observare contigit, sed in *paluſtribus tantùm &c.* Referente Dn. *Camerario*, Med. Profess. Tubing. & Archiatro in Dissert. physico-med. p. 292.

§. VI.

His erudimur non tantùm ex inundationibus *particularibus* strata extitisse, *sed etiam primitus è catholico illo diluvio.* Quis enim non videt infima strata *quisquiliis marinis referta ad diluvium referri debere.* Ita quoque comparatum esse cum agro *Lipsiensi*, *Dubiensi*, *Meuselvvicensi & aliis Misnicis ac Thuringiacis*, *planioribus ac pressioribus*, autumo.

§. VII.

Verum enim verò ager *Querfurtensis longè aliter* sese habet, *editior est*, *nullisque fluviis* irriguus. Sitit & *nullâ aliâ*, *nisi pluviâ* aquâ reficitur. Rivulus, *Woyda* dictus, interdum *vix movendis* molendinis sufficit. Præeminent strata, quibus asservantur marina nostra, pedibus 40-100. Onestro fluvio circiter 300. Salæ 400. His quamvis *largissimè* effusis tanta tamem extravasatio *minimè* metuenda, quæ à littoribus *ad sedem* coralliorum fossilium, aliorumque *merè marinorum* pertingere possit.

§. IIX.

Strata ipsa mire *alternant & variant materiebus.* Testis sit lapidicina *Esperstadiensis*, milliare distans à Querfurt. *Perpendiculariter* prostat autopsiæ. *Primo* aspectu, imo *fugitivo* apprehendimus, *ex sedimento turbidi cujusdam fluidi strata illius traxisse origines.* Domata superficies nunc ager est, (Garten-Erde oder brauchbar Land) cui à Wandalis s. Venedis, aliisque populis *urnæ sepulcrales* olim sunt concreditæ, quæ nunc Lapidicidis sese ultro exponunt. Superius stratum limosum est, Letten / Leim, ac 10-18. ped. densum. Sub hoc marga subfuscula *lineâ continuâ*, semipedalis densitatis, conspicitur. Medicam esse hanc margam, asseruit *beatus Christianus Wolfius*, Medic. Doctor ac Practicus Lipsiensis. Profundiora *strata materiam alterant atque glare-*

glaream ac saburram, arenâ variâ variant. Sub his stratum calcarium deprehenditur, *cementosum magis*, quam solidum. Tandem stratum *fissile*, propius ad Pseudo-marmor, vel Alabastritem subcœruleum accedens, & *in illo ossa animalium marinorum, in specie crocodili marini* reperiuntur. Confer, si libet, nostros diluvii testes, §. 131-135.

§. IX.

In eodem tractu versus Septentrionem non procul ab oppidulo: *Scraplau* Comitatûs Mansfeldensis, ad Quercetulum quodpiam, varia depromitur *arena*, quâ postea Pseudo-marmor s. Alabastrites lævigatur. Strata hæc *arenosa ac montana ad modum fluctuum sibi invicem incumbunt.* Longè latèque diffunduntur quamvis *fissuris montium*, vallibus, fluviolo Woyda, intercipiantur. Observavi versus orientem prope Deutschen-Thal: versus meridiem prope Klein-Eichstädt: versus occasum prope Leimbach und Gatterstädt: versus Meridiem Occasum ac Septentrionem hæc strata Conchyliis variis intermixta reperiri.

§. X.

Miraberis, Lector curiose, *varietatem marinorum* repertorum in præfatâ arenofodinâ. Elargitur hæc Conchylia lævia, striata, gyrata, echinata, grvphata, dentata, serrata: *Murices*, *Turbines*, *Neritas*, *Entalia*, *Glossopetras*, *Lapides judaicos*, *Belemnitas*, *Alveolos*, *Echinitas*, *Asterias*, *Caryophyllos marinos*, *Oculos cancrorum*, imo diversissima alia marina *affabrè characterisata*, nec tamen omnia Physicis *satis cognita.* His interstunt Hammitæ, Rogen-Steine s. Ovaria piscium petrificata, quæ ad *centrum* usque lævigata *crustam, albumen ac vitellum* oculis exponunt. Quædam ovula magnitudinem granuli *papaverini vix* excedunt, tamen hæc omnia, *crusta scilicet, albumen ac vitellus* oculo armato prostant. Ex hâc arenofodinâ, *maximam* partem, de promta sunt *corallia nostra*, unâ cum *lapidibus cornuis*, ut & illud incognitum Tab. III. fig. 5. aliaque quamplurima.

§. XI.

Strata *Kuckunburgensia*, nobis viciniora, ferè 100. pedes à valle versus aërem assurgunt. Et hæc *variant materiâ* ac materiarum affectionibus. *Saxosa quidem sunt omnia*, partim fragibilia, partim marmoreæ duritiei. Continent *Nautilitas diversarum* specierum, *Conchitas* æves ac striatos, oblongos ac subrotundos, *Asterias*, interdum quoque *Dentes*, imprimis *curvos pernigros ac striatos*, *&c.*

§. XII.

Weidenbach haud ita procul à Kuckenburg ac Querfurt. ad viam Mœrsburgensem ac Lipsiensem e stratis petricosis, paucâ terrâ investitis Conchylia striata elegantissima, *Asterias* elargitur, numero innumero. Dn. *Iac. Leupold Mathem. Lipsiensis*, *primus observavit*, *primusque scripto publico illustravit Dn. Gottlieb Fridric. Mylius*, *in Memorabilibus Sax. subterr. Part. I. Relat.* IX. p. 65. *ubi multa simul ac erudita Lector inveniet*, *quæ studio lithographico inserviunt. Illorum instinctu & me* postea, horis *subsisivis* huic applicui studio.

§. XII.

Versus Libanotum, Süd-Osten, in agris eminentioribus colliguntur lapides cornei, *rarioris* sæpe commatis. Versus Austrum in stratis calcariis non ita procul *à Vizenburg ac Nebrâ Conchitæ ac Turbinatæ:* Versus Notolybium, Sud-West, conchylia delicatiora ex arenosodinis, in omnibus consimilia Scraplavienſibus, eruuntur. Versus Favonium West-Wind, in superiori strato arenoso prope *Gatterstæd* eadem conchylia, sed rarò inveniuntur. Ante tres annos circiter Dn. D. *Ioh. Georg Engelschall*, *Physicus Querf. ac Chymicus* experient. lutræ maxillam ibidem acquisivit, donoque mihi concesit. In *inferioribus* stratis Gatterstadensibus saxi arenosi flavidi *Nautilitæ*, *Turbinatæ aliaque marina* eruuntur, nec minus versus aquilonem, Nord-West, ad pagum Farnstädt eadem in iisdem stratis. Nec silentio involvam, ante quatuor, & quod excurrit, annos, *totum uri sceleton*, ut ex *cornubus* videre licuit, è fissurâ montis cujusdam, Wasserschlufft, fuisse extractum à rustico. *Dimidiam cornu partem & hodiè asservo.*

§. XIV.

§. XIV.

Urbi nunc appropinquemus. Ad *castellum* versus Notolybium, Süd-West, ac Favonium, West-Wind, stratum *superius* inservit operariis calcariis, continens *conchitas leviter striatos*, interdum quoque *ossa* Sub hoc strato latet *arenosum, sed firmissimum cochlitis ac conchylijs undiquaque refertum.* Hi & alii non rarò sunt *exesi*, & ut ochra prodit, succo martiali. Hæc inter inveniuntur *incognita* Tab. III. f. 8. 9. 10 *Asteriæ* innumeræ. Interdum *Nautilitæ* ac *Ichthyospondili*, interdum quoque *Lithobiblia.* Conf. Diluvii testes p. 162.

§. XV.

Intremus tandem *ipsam urbem*, isti superstructam *strato calcario.* Hoc *declive* est, versus Cæciam, Nord-Ost, pertendit, & prope Esperstædt, uti supra memoratum, in *imis* desinit. Hoc & alia *intra urbem* strata, ut putearii nos docent, *alternant materiebus, per modum turbidi fluidi superinvectis, nunc induratis.* Strata superiora ansam dederunt concinnandi tractatulum: *Rudera diluvii testes*, quem, si placet, adeat Lector, imprimis Tab. XXIII. num. 4. 5. Tab. X. num. 2-5. Tab. XXVI.

§. XVI.

Ex his eluceſcit *totam regionem Querfurtensem ac vicinam, altissimam quamvis, ex sedimento turbidi fluidi ortam*, continentem quoque *coralia nostra* fossilia.

§. XVII.

Ad strata *Masselensia* principatûs *Olsnensis* in *Silesiâ* quod attinet, ore alieno, sed *fide dignissimo* eloquar. Plurimum-Rev Dn. *Leonh David Herrmann*, Past. apud Massel prim. Vir & animo ac manu solers, perlectis diluvii testibus ita testatur autoptes: Ich freue mich, daß ich bey meinem besitzenden Vorrath von eben dergleichen Rudaribus eine solche angenehme und vergnügliche Nachricht bekommen, durch welche ich gleichfals die Uberbleibsal, Zeichen und Zeugen der Sünd-Fluth meines Orts nützlich betrachtet. So viel nach diser methode eine genauere Inquisition in Wassergraben (ex

quâ corallia fossilia aliaque marina, olim submersa, Dn. *Herrmann lynceis collegit oculis*) angestellt habe, wird das Masseliſche Revier mit dem Querfurtiſchen eines seyn. Fluten sind auch hier zu vermuthen. Strata, Erd-Schlam-Leim- und Stein-Bäncke vorhanden. Schnecken und Muſchelen mit ihren Rogen (unâ cum ovariis) nebſt abwechſelnden Gestalten sind in unbeſchreiblicher Menge, groß und klein zu sehen, ꝛc. Masselograph. Part. II. c. VI. §. 5. p. 205. sq. *Eadem ergo strata diluviana ultro agnoscit autor eruditissimus.*

§. XIIX.

Idem testatur Vir acerrimi judicii, Dn. D. *Georg. Anton. Volckmann*, Medicus Lignicensis experientissimus diversis ad me datis literis. Conser Cap. IIX. §. 31.

§. XIX.

Quemadmodum autem nostra marina fossilia in *aliis quoque mundi partibus* reperiuntur, nemo me ambagum accuset, hoc addentem: Dn. *Woodwardum Anglum* in Geographiâ physica testari per universum mundum *eandem ferè stratificationem* inveniri: Et quamvis Dn. D. *Camerarius*, Medicinæ Prof. Tubing. Ordin. & Archiat. Würtenb. Dissertat. epist. XVI. p. 280. sqq. circa hoc assertum Woodwardianum, non sine fundamento, *quædam moneat*, hanc tamen animadversionem *non ἁπλῶς, sed καθ' ἡ admittendam* esse, puto. Tyrannis enim Diluvii *aliam*, quam stratificationem *sedatam & ubivis æqualem* credamus svadet. Conf. cap. sequ. §. Multa de his stratis *erudita* commentatus est Maxime-Rev. Dn. D. *Ioh. Wilh. Beyer*, in Altdorfinâ Theologiæ Prof. celeberr. *id hoc studio diluviano præstans apud Germanos, quod Dn. Ioh. Rajus ac Dn. Woodward in Angliâ, in Helvetiâ verò D. Ioh. Iac. Scheuchzer præstiterunt.*

Beyer. in eruditissimâ differt. de monumentis diluvii §. 1. p 3.

§. XX.

Unicum adhuc adjiciam: Medicum quendam, è *Pensylvaniâ reducem*, sanctè nuper testatum fuisse *idem de stratis Americanis, ossa*

quo-

quoque & arbores continentibus. Non aliter quoque comparata ſtrata regionum *Aſiæ Malabarenſium eſſe confirmant reliquiæ diluvianæ in illis reperiundæ.* Non ita pridem Dn. *Miſſionarii Danici ex Tranquebar varios paguros* transmiſerunt, quorum unum muſeolo meo conceſſit *orphanotrophium Hallenſe*, planè eundem, ſi quantitatem exceperis, cum *Paguro Amboynico* petrefactoRumphii. Theſaur. imag. piſc. cochlear. &c. Tab. LX. num. 3. §. XXI.

Neque hoc reticendum, quod nobiliſſimus ac politiſſimus Dn. *Mich. Reinhold Roſinus*, Mündenſis Hanoveranus, me non ita pridem peramanter ſalutans, de *Stratis Haſſiacis tractûs Teutenſis*, non procul à *Caſſellis*, *autoptes* commemoravit. Superficies montoſa ac limoſa eſt ſuperveſtiens ſtratum petricoſum albidum conchyliis contuſis ac laceris refertum. Sub hòc arena flavida reperitur, compluria conchylia, aliaque marina, etiam cruſtacea, in ſpecie echinos marinos delicatiores, dentes Carchariæ ſeu Lamiæ, vulgò Gloſſopetras, nec non *Corallia ſubrubra* exhibens, contegensque ſimul ex eodem eluvionis fato aliud ſtratum ſabuloſum conchyliis diverſæ magnitudinis commixtum. Infra hoc, in ſaxo martiali, vulgò Braunſtein, echini marini aliaque marina, tandem idem ſaxum, ſed ſolidius ac ſine marinis, inveniuntur.

§. XXII.

Ex his omnibus conſtat, coralliorum noſtrorum, imò aliorum fati hujus ſociorum, locum deprehenſionis *non eſſe terram creatam primam, paradiſiacam ſ. virgineam, ſed ex ſedimento fluidi turbidi ortam, diſruptam, ac peſſundatam.*

Cap. IIX.

De viâ ac vi, quâ pervenerunt corallia hæc foſſilia in noſtras regiones ab oceano remotiſſimas ac montoſas.

§. I.

Via ac vis, quâ pervenerunt *corallia in noſtras* regiones, precedentibus capitibus ſatis ſuperque indicata eſt, diluvium nempe *quoddam catholicum ea huc detuliſſe.* §. II.

§. II.

Verum contra *negantes*, *necessitas* urget, ut *solidis rationibus demonstretur*, hanc viam esse *& veram & unicam*. Vix est credibile, quam larga sit *Scepticorum* seges, qui *ridendo* horrent hæcce *sat conspicua* cataclysmi *catholici effecta*, *Tros Rutulus*, imò qui *fidem* dedêre S. *Scripturis*. Verentur enim, ne admisso hoc diluvio divinitûs immisso, *insimul* justitiam vindicem, in scepticismum aliquando animadvertentem, confiteri teneantur. Quos ad vivum delineavit Petrus, II. Ep. cap. III, 3-7. Ast enim, ne Moysi vel sibi contradicere videantur, *mirè & mentem & mentum contorquent*. Maxima pars *Deum*, *naturæ Directorem*, pro *Ludione magis*, quam judice *antidiluvianorum ante-diluvianorum* Scepticorum audacissime habent. Math, XXIV, 37. sqq. Sed his & aliis crassioribus I. capite satis responsum.

§. III.

Quidam opinantur, *tertiâ* creationis die, cum separasset Conditor fluidum à solido, *remansisse* conchylia aliaque marina, imo consequenter terrestria, *in sedimento terræ* nunc coagulato & partim petrifacto. Verùm *Moyses*, quem, deserto foro physico, Patronum causæ accersunt, *illos deserit*. Tacet enim non tantùm *remansionem* illam, sed etiam apertè testatur: *Quartâ demum* die animalia marina: *Sextâ verò* terrestria fuisse creata. Quî ergo fieri possit, *submergi prius tertiâ die, quam existere quartâ & sextâ?* Quid? Quod assertores insuper alios persuadere conentur, *homines*, *ante Adamum* ab optimo creatore productos, & abirato, *sine culpa*, in incunabulis suffocatos & consepultos fuisse. Sceleta enim humana reperiri inter fossilia experientia fusè docet, & recenset Excell. Dn. D. *Ioh. Wilh. Beyer* in Dissert. *de fossilibus diluvii univers. monumentis*, p. 11. sqq.

§. IV.

Alii & quidem *subtiliores*, *post principia* stant. Ajunt; negant. Confitentur submersorum naturam, vel animalem vel vegetabilem, sed *submersionem ipsam* ex inundatione *inficiantur*. Hem! ut desudant, ne hypothesi diluvianæ subscribere cogantur. *Mira obvertunt miri.*

miri. Caſus varios fingunt. Gurgites, terræ motus, migrationes & terræ & maris, & quid non? ſomniant & concionantur.

§. V.

Subtiliſſimi verò Scepticorum, viſis ex ſedimento turbidi fluidi ortis ſtratis, conſitentur quidem eluviones, ſed *particulares*, Ogygis, Deucalionis, Ægyptiacam, Chinenſem, Mexicanam, Cymbricam, &c. Audiamus omnes. §. VI.

Quidam illorum hæc corallia, aliaque marina *humanâ forſan manu allata, poſteaque abjecta vel defoſſa eſſe perhibent.* Aſt fumum vendunt (1) Tot corallia (2) tot ſpecierum (3) per omnem mundum quaſi ſata (4) ſtratis ſaxoſis infarcita (5) ab hominibus, qui nunquam mare peregrinum: vel accolis maris, qui nunquam haſce regiones acceſſerunt, deportata & (6) conſepulta eſſe, quis credat?

§. VII.

Alii autumant, *terræ motu hæc marina loco mota.* Neque hi motus nos movent, ut diluvium univerſale negemus. Reperiuntur enim noſtra corallia (1) per tot regiones diffitas (2) in ſtratis continuis ac parellelis (3) nunquam diſruptis vel fiſſis (4) nulloque motu, ne tremore quidem, tactis, (5) à mari natali quàm longiſſimè remotis. Judæus ergo Apella credat, motuum effectus ita eſſe comparatos, ut (6) nimirum in lineâ *parallelâ ordinent, locent, & ſolis marinis marina, ſecretis & abactis alienis, jungant,* imò (7) ex imâ abyſſo rapiant ac trajiciant.

§. IIX.

Miri ſunt quoque, qui *aſcenſum marinorum per gurgites ſubterraneos* meditantur. Ita enim eructata eſſe planè impoſſibile eſt. Gurgites enim (1) tanti effectûs non ſunt. In ſpeluncas quidem ſe interdum exonerant, non in montana, ad aërem, neque (2) intra ſtrata ſaxoſa, duriſſima ac contigua; (3) in lineâ horizontali (4) per omnem mundum &c.

§. IX.

Nec deſunt augurantes, inde deduci poſſe, quod *maria non rarò ſitum mutent locaque poſſeſſa relinquant, aliaque occupent.* Verum & hoc augurium fallit. Fateor equidem, has mutationes accidere *locis maritimis,*

timis, Græciæ, Italiæ, Angliæ, Galliæ, Belgio, Sveciæ, Norvvegiæ &c. Nec diffiteor in ipso oceano *novas sæpe exurgere insulas*, *montes &c.* nec invitus concedo, maria absorbere littora & exspuere raptas terras in alia vicina loca, &c. Nemo tamen me adducet, ut credam, *talem mutationem unquam passos fuisse nostros* tractus (1) altissimos, (2) ab oceano remotissimos, (3) saxosos. Freta ac promontoria *petricosa* rident insultus aquarum tyrannicos, nec cedunt. Quî ergo hæc mutatio marina his locis, v. g. montosis, *Gif-husano*, *Enzelio*, *Finicis Turingiæ* Thüringische Ost-Gebürge, Finne, Fenne genant, in saxum firmissimum consolidatis accidere potuisset? Quid dicam de Riphæis?

§. X.

Aries quoque arenosus est, quo nostram sententiam destruere satagunt illi, qui de *corallios nostris fossilibus in specie* perhibent, *saxea esse idolis*, *& non secus*, *ac in saxis marinis pelagiis produci posse*. Non enim habent, quod volunt. (1) Nullibi conspiciuntur affixa lapidi, quin potius, (2) in arenâ (3) *inter conchylia nunquam in stratis subterrestribus oriunda*, quibuscum corallia nostra *idem fatum diluvianum* experta sunt.

§ XI.

In regiam magis inclinant ac tendunt dissentientes, qui *inundationibus transvecta quidem credunt*, *sed particularibus*, ut §. 4. audivimus. Ita *est*, *profectò*, *ut dicunt*, *nimirum per eluvionem esse transportata*. Reperiuntur enim

(1) in stratis *materiei marinæ*, glareosis, saburrosis.

(2) In stratis, ut autopsia docet, *ex sedimento fluidi turbidi exortis.*

(3) in stratis, ad modum aquarum, *fluctuatim* sibi invicem superimpositis.

(4) Fossilia ipsa, cum creaturis *marinis* sunt annumeranda, ut character animalis ac vegetabilis abunde docet.

(5) Hæcce fossilia, *olim pelagia*, *non supra-terrestres* creaturæ, sed marinæ: non indigenæ, sed peregrinæ, in peregrina loca comitantur:

6) Marinæ tot generum ac specierum. Conf. *Rajum*, *Luidium*, *Woodvvardum*, *Scheuchzerum I. J. Beyerum*, *Mylium*, *Herrmannum* & alios.

7) Nullum *aliud* transportationis medium excogitari potest quam eluvio.

§. XII.

§. XII.

Verùm enim verò & hi amici ſententiæ inimici, *proximè* quidem à veritate *abſunt*, *ſed abſunt.* Nulla diluvies ſpecialis, quæcunque ſit, hanc *univerſalem diffuſionem tot marinorum* producere potuit, etiamſi plures vel ſuccedaneæ hac illàc aſſerantur. Loca enim eminentiora uno ore proteſtantur.

§. XIII.

Nihil ergo reliquum eſt, quàm ut *diluvio* cuidam *catholico*, quo totus ſubmerſus & immutatus ſit globus terraqueus, *tot mirabundos & vix credibiles effectus adſcribamus.*

§. XIV.

Equidem audio ſuſurrari, totalem terræ immerſionem eſſe *impoſſibilem.* Sed his, puto, ſatisfecerunt ingenioſisſimus *Burnetius*, Conſtantinus *Groot*, *Woodvvardus & alii.* Conferantur, ſi ad palatum, Rudera noſtra, diluvii teſtes §. 36. ſqq. Certè non *teneremur, poſſibilitatem cataclyſmi catholici demonſtrare, cum rerum teſtimonia, ſtrata fluctuoſa, & in his marina adſint. Nugantur, qui viſo vulnere, ruinâ ædium, cadavere, depoſcunt demonſtrationem poſſibilitatis.*

§. XV.

Sanè *gentiles* cordatiores hoc diluvium *magis ex habitu terræ* agnoverunt, quàm ex ore Patrum didicerunt. *Indus & Afer* una cum remotisſimis *Americæ nationibus* idem confitentur ac profitentur.

Groot. de relig. Chriſtian. cap. V. *Stillingsfleet* orig. ſacr. lib. III. cap. IV. §. 8. *VVoodvvardi* Geopraph. phyſ. p. 143. *Rudera diluvii teſt.* §. 22. p. 14.

§. XVI.

Quid? Quod *Moyſes*, teſtis Chriſtianorum graviſſimus *idem* aſſerat, *à dubiis Chriſtianis vapulans.* Ita inquit divinus Hiſtoricus: Rupti ſunt fontes תְּהוֹם רַבָּה voraginis ſ. *abyſſi magnæ*, aquarum ſcilicet ſub cruſtâ terræ. Et cataractæ cœli ſunt apertæ & fuit pluvia

super terram quadraginta dies & quadraginta noctes. Et invaluerunt aquæ & se multiplicaverunt valde super terram. - Et aquæ invaluerunt *valde valde* super terram & cooperti sunt omnes montes excelsi, qui sub cœlo. Quindecim cubitis invaluerunt aquæ & operti sunt montes &c.

§. XVII.

Quem cataclysmum *catholicum* unâ cum effectibus ὡς ἐν συνόψει sed *sufficientissimè* descripsit Magnif. D. *Georg. Wolfgang Wedelius*, Senior, sed *juvenescens*, nostrorum Medicorum non pater, sed *avus* ser venerandus, Academiæ Jenensis stella *primæ* magnitudinis.

Exercit. I. medico-philolog. sacro- prof. Decad. X. Cent. I.

§. XIIX.

Communicabo hanc *cataclysmographiam*. Ita inquit *Wedelius*: Quod me attinet, non impossibile videtur, cadavera ejusmodi, vel ex ipsâ Affricâ, seu loco meridionali, provolvi potuisse in Europam.

Si enim concipiamus vim aquarum, sub gravioris saltem tempestatis insultum particularem, quid de universi orbis *tam diro paroxysmo* cogitabimus & poli utriusque συρράξει graviſſimâ.

Exhorreo, dum hæc cogito, cœlum terræ indixit bellum, globus terraqueus *totus* submersus, continuatis procellis, rugientes ventorum globi, rapidissima nimborum volumina, summa exæstuantium aquarum præcipitia, diriſſimi fluidorum assultus, montium & convallium fragosi fremitus, diriſſimi mugitus barathrorum, *horsum vorsum disjecta omnia*, quam non, quæso, vim exeruerint? Vix concipi illud, vix satis efferri potest, nedum describi.

Credibile est, maximas fuisse exortas reciprocationes marium. Imo ne terra quidem potuit *firmare suum solum*, quin & desuper experta fuit *succussationes* illas, *eversa*, *disjecta*, *dirupta*, *quassata*, neque enim verba suppetunt satis ad exprimendum & pressione illa duplicata irati ætheris & rarefactarum, ebullientium, ferocientium aquarum motus intestinos in visceribus suis in centro quasi suo passa horridissimos, *summa imis*, *ima summis turbata*, *confusa*, *diruta universa*.

Cum

Cum ergo & ſub miſerrimâ illâ turbarum facie extra ſuos terminos *totus* terrarum orbis *quaſi dimotus* ſit, cur non potuerunt ſubmerſa & in abyſſum præcipitata cadavera locum occupare illum inſvetum? Cur non ex damno tanto etiam commoda in hoc quædam à reſurgentis divinæ gratiæ radiis exoriri, ut & ipſa hæc oſſa teſtentur poſt tot ſecula, velut hiſtoria viva quædam, deplorandi illius ſtatûs reliquias? Hæc ille.

§. XIX.

Idem teſtatur *Magnus Coringius* JCtus, vir in omni doctrinarum genere exercitatiſſimus in aureo tractatu de antiquo Helmſtadii ſtatu, quem adeat Lector.

§. XX.

Et quid vetat, audito *Medico ac JCto*, etiam *Theologum* autoritate pollentem, diluvianorum effectuum teſtem producere, teſtem ſimul phyſicum, nec *teſtimonium ejurantem.* Mihi autem temperare non potui, quin hoc fecerim propter *quosdam* clericos voce dictatoriâ *dictitantes luſus*, diſſenſum verò pro crimine majeſtatis *cathedralis* reputantes. Ideo ſcutatus incedam. Adesdum *Luthere*! Sis mihi panoplia contra tuos, quâ nomen, non *ſententiam*: mihi tuo, quâ ſententiam, *non ſolum nomen.*

§. XXI.

Ita conteſtatur Megalander: *Poſt diluvium ſunt montes, ubi antea agri* amœnâ planitie fuerunt. Ita quoque non eſt dubium, nunc eſſe fontes, ubi antea nulli fuerunt & contra. Tota enim terræ facies mutata eſt. Nec dubito, *Reliquias diluvii* eſſe, quod, ubi fodinæ metallicæ nunc ſunt (arrigite aures, Ludiones!) ibi non raro reperiantur *ligna durata* in ſaxum. In ipſis ſaxis conſpiciuntur formæ variæ *piſcium & aliarum beſtiarum.* Sic credo mare *mediterraneum ante diluvium non fuiſſe*, ſed per diluvium ei factam viam hanc, in qua nunc conſiſtit. Sic ſpacium rubri maris, ſine dubio, *ante* fuit

fœcundus ager, & ut verisimile est, portio aliqua paradysi. Sic reliqui sinus, Persicus, Arabicus &c. existunt ex *reliquiis diluvii.*

Comment. in Cap. II. Genes. Tom. VI. Wittenberg. Tom. verò IX. *Altenburg.* p. 47. a.

§. XXII.

Hæcce tamen testimonia, imo ipsius Moysis (salvo respectu, quem debeo) *paulisper* seponamus in foro hôc *merè* physico, ne circuli vitiosi me incusent Sceptici.

§. XXIII.

Certè & *sensualitas ac dictamen rectæ rationis pro catholicismo inundationis cujusdam* pugnant, quæquæ hæc sit, sive Noachica sive *alia*, cum tamen in Noachicâ omnes ferè conveniant.

§. XXIV.

(1) Accingamus ergo nos tandem ad stabiliendum assertum. (1) *Strata per universum mundum ex sedimento turbidi fluidi exorta sunt.* Per illam enim catastrophen *divinitus imperatam*, *ac via naturali productam*, supra-terrestria limosis ac aquosis, aquatilia terrestribus, animalia ac vegetabilia sabulone, terrâ, margâ commixta, involuta ac consepulta, quæ posmodum coaluerunt in massam unam, succoque petricoso l. minerali repletam *in lapidem vel mineram abierunt. Et quamvis hæc strata variant*, tamen hæc variatio nihil aliud est, quam *fluctuatio, pressio, resurrectio stratorum, in testimonium diluvianæ tyrannidis*, de quibus fusius ac solidius in Physicâ diluvianâ, cum DEO ac die edendâ. Conf. Cap. VII. §. 5. sqq.

§. XXV.

(2) *Per universum mundum* (2) *in ejusmodi stratis, potissimum elatioribus reperiuntur creaturæ supra-terrestres indigenæ & peregrinæ, mixtæ interdum marinis, imo potissimam partem marinæ, marinæ exoticæ, exoticæ ac incognitæ.* Quisnam

nam ergo audeat hanc revolutionem terr-aquoſam eluviebus *particularibus* aſſcribere? Conquiruntur, inquit, fideliſſimus ac laborioſiſſimus naturæ myſtes *Scheuchzerus*, in *omni terræ angulo*, magnâ diligentiâ horrendæ *illius cataſtrophes reliquiæ*. Integra inde formant muſea non famâ duntaxat, ſed *ſtemmate quoque ac dignitatibus illuſtres*, in *omni* Europâ imo in *ipſis Indis*, Viri. *Adeo copioſa* proſtat ſupellex, ut ſeligere poſſint *alii cochleas & conchas*: alii *piſces*, alii *plantas ac ligna*. (*a*) *Rumphius* in inſula, *Amboyna*, quamplurima collegit diluviana, & ære communicavit. Tab. LVIII-LX. (*b*) Memini, ex illuſtri Viro, *Dn. ab Areman, Sereniſſimi Ducis Saxo-Gothani Conſiliario* me, ante aliquot annos, audiviſſe, experientiſſimum Belgii Magnatem, D. *Petrum Valkenier*, Legationibus & expeditionibus graviſſimis, ut & ſtudiis exquiſitiſſimis celeberrimum, *collegiſſe reliquias diluvianas omnis generis ac locorum*, quod & Vir *integerrimus* Dn. D. *Scheuchzerus* in Querelis ac Vindiciis piſcium conteſtatur. p. 24.

(*a*) Herbar. *diluvian.* præfat. (*b*) *Rumphii* Amboyniſche Raritäten-Kammer.

§. XXVI.

Paguros petrificatos è regionibus *Aſiæ Malabarenſibus* advectos, ſupra audivimus. Ante annum, gratiâ *cujusdam Patroni*, maſſa arenoſa in lapidem converſa conchyliis diverſarum ſpecierum undiquaque conſtipata meum muſeolum acceſſit, ex *inteſtinis Caucaſi* eruta. Talem quoque *peregrè advectam* conceſſit Dn. *Auguſtus Carpzovius*, JCtus. Præfecturæ antehac Quernfortenſis Præfectus meritiſſimus. Imò *America* litat reliquias diluvianas, ut cap. VII. §. 22.

§. XXVII.

Sed revertar ad *noſtras* regiones montanas *nullâ, unquam*, quod probè notandum, *niſi pluviâ aquâ* irriguas. Hem! Quot & quam varia offerunt marina. Vicina *Thuringia* ſcatet diluvianis reliquiis *Miſnia & comitatus Mansfeldenſis*, conterminus, hæc undiquaque de-

pro-

promunt. *Saxonia* inferior, *Haſſia*, *Franconia*, *Bohemia*, *Sileſia* eadem elargiuntur. Nemo, cui mens ſana in corpore ſano, hanc diſſeminationem, extravaſationi marium *particulari* adjudicare audebit.

§. XXIIX.

(3) Nec leve pro univerſalitate diluvii argumentum eſſe puto (3) *tam varia genera ac ſpecies arborum, herbarum, animalium, tum terreſtrium, tum aquatilium reperiri.* Non omnia ſert omnis tellus ac mare. Quâ viâ ergo in noſtra montana pervenerunt, quæ ſibi *ſolùm* vindicat *extrema Aſia ac America*, niſi *vehiculo univerſali?* Noſter angulus *plusquam ſexaginta marinorum, marinorum* dico, *ſpecies* nobis conceſſit. Novæ mihi vel *ſoli* colligenti, & per manus potiſſimùm *mercenarias* non rarò ſe offerunt ſpecies. Quid, ſi alii hic vel alibi colligerent, *otioſiores, curioſiores ac peritiores?* Legat, qui dubitat, Lithophylacium Britannicum Luidii & numerum mirabitur. Si hæcce ex inundatione *particulari* devecta fuiſſent, *tot ac tam varia exotica non reperirentur.*

§. XXIX.

(4) Et quod *majoris* momenti eſt, (4) *in noſtris regionibus eruuntur marina*, non tantùm *peregrina*, *ſed etiam peregrina incognita.* Probè notandum, Echinorum ac Nautilorum *ſpecies* reperiri, teſte Luidio, in Anglià, quæ *neque induſtria, neque audacia urinatorum, neque caſu quodam* ad oculos noſtros pervenire poſſunt. *Idem* quoque de noſtris regionibus dicendum. Plus quam *viginti ſpecies nautilorum* aliorumque *conchyliorum* è noſtris Lapidicinis ac arenofodinis effodiuntur, cum tamen *vix quatuor vel quinque* ſpecies marinorum hodie è mari immediatè depromtæ appareant. Dum hæc ſcribo, filius natu minor ex arenofodinâ vicinâ *rariſſimum offert foſſile* Tab. III. n. 7. delineatum, idem *cum illo*, *quod* Dn. D. *Scheuchzerus* ære communicavit,

nicavit, Lithograph. Helv. num. 88. & particulam *piſcis Rajæ* fuiſſe autumat. *Rara* quoque marina, ut credo, *vegetabilia* Tab. III. f. 9. 10. deſignata: *rara* Tabulâ III. fig. 6. Vegetabilia eſſe, ſvadet ſtructura: marina eſſe, comitatus omnino marinus. *Rara*, quia nemo Phyſicorum, quibuscum communicavi, quid & quale ſit? dicere audeat. Ita quoque comparatum eſt cum *foſſili* Tab. III. fig. 5. depicto. In ſtratis noſtris calcariis oſſa *trium ſpecierum* animalium marinorum reperiuntur. Sed *duæ ſpecies latent* Zoologos. Tertia habetur pro Crocodilo marino Dn. D. *Speneri*. Quamplurima inſuper foſſilia eleganter characteriſata collegi, quæ *noſtrum ferè ſcire* tranſcendunt. Quoties arenofodinas frequentavi, toties fermè *aliquid novi ac inſoliti vel rarioris notæ* inter marina, nota, reperi. *Hæc marina marinis, marina peregrinis, peregrina incognitis conglomerata quaſi, à nulla alia quàm diluvio univerſali tranſvehi potuerunt.* Plura tamen in Phyſica diluvianâ, DEO juvante, edendâ enarrabo.

§. XXX.

Hæc in genere de foſſilibus, olim marinis. Nunc in ſpecie de *coralliis*. Planè impoſſibile eſt particularem, *quæquæ ſit*, corallia, quæ *Aſiæ ac Americæ natales unicè debent*, (5) huc tranſportaſſe *potiſſimum lapides corneos ponderoſos*. Conf. *Scheuchz.* Querel. ac Vindic. piſcium p. 32. (5)

§. XXXI.

Teſtis omni exceptione major eſt. (6) *altitudo loci*, quo deprehenduntur corallia noſtra aliaque marina. Non in ripis noſtris ac locis preſſioribus, *ſed in editioribus inveniuntur, quæ nulla extravaſatio aquarum particularis attingere, multo minus tranſcendere unquam potuit.* Halâ Saxonum, ac alluente Salâ Querfurtum tria milliaria german: diſtat. Verùm quantùm ex aquarum molendinis inſervientium *decurſu ac dimenſionibus*, Mühlgefällen, judico, *vix ducenta ulnas*, 400. pedes *ſufficerent altitudini*. Dic, ſodes, (6)

quomodo mare longè preſſus, quinquaginta circiter milliaria à nobis diſtans, imo americanum & Aſiaticum, alvum exonerare & hæc marina in noſtra montana, lineâ parallelâ trajicere potuerit. Aſcende noſtrum *Küfſthuſanum* Küffhäuſſer-Berg, lignum foſſile duritiei adamantinæ exhibens. Videbis, *quatuor vel quinq; Oceanos in omnem mundum inſimul effuſos, non ſufficere culmen illius ut attingant.* Curioſiſſimus meus conterraneus *Lehmannus*, Paſtor olim Scheibenbergenſis in Miſnia refert, montoſas Patriæ regiones, Erꝛ-Gebürgiſcher Kreis an Böhmiſchen Gräntzen, *adeo aſſurgere in nubes, ut idem frigus perſentiſcant cum borealibus* regionibus. *Nec tamen*, teſtibus metallofoſſoribus, *caret hic tractus diluvii teſtibus.* (a) Quid dicam de *ipſis Alpibus*, quas nuper ingenioſiſſimus ac peritiſſimus Dn. D. *Scheuchzerus*, Profeſſor Tigurinus in chartâ *noviter* inventâ accuratiſſimè delineavit, præviis *octodecim* annorum obſervationibus multo ſudore ac impenſis, ut ipſe literis ad me datis conceſsâque hac mappa, fatetur. Obſtupui ſteteruntque comæ, cum primùm in hanc introſpexi & copioſiſſima concatenataque montium juga, *tàm ſtupendæ ac nubes ridentis altitudinis*, magis perpendi. Attamen & hæ *Alpes his diluvianis reliquiis in ſpecie corallinis non ſunt deſtitutæ.* Idem Dn. *Scheuchzerus*, adjutoriis barometricis obſervaſſe, teſtatur, Alpes 9000-12000. *pedibus præeminere Oceano* contermino. (b) Oſtende ergo viam, Sceptice, quâ inundatione *ſpeciali* pervenerint corallia aliaque marina in Alpes? Idem conteſtatur de *Riphæis* Sileſiæ Excell. Phyſicus ac Polyhiſtor Dn. D *Georg. Anton. Volckmann*, Medicus Ligniacenſis, literis ad me datis: Sowohl diejenigen, welche ſolche Dinge für Natur-Spiele achten, ſind eines groſſen Irthums zubeſchuldigen, als auch die nicht gläuben wollen, daß dieſe marina petrifacta, *reliquiæ Diluvii univerſalis* wären, ſondern nur von einer *particular* Inundation. Sie möchten doch erweiſen, wie ſelbige nicht nur auf unſere hohe Landſchafft ſondern

auch

auch auf die Gebürge in der Schweitz, in America und Africa kommen? &c.

(*a*) Schauplatz natürlicher Merckwürdigkeiten des Meißnischen Erz-Gebürgs. p. 747. p. 759. (*b*) Physicæ Part. II. p. 160.

§. XXXII.

Etiam profunditas ſtratorum (7) *teſtatur univerſalitatem diluvii*, quibus conſepulta hæc marina ſæpe 200-500. pedum, teſte Luidio, reperiuntur. Cap. VII. §. 5. de agro *Mutinenſi* percepimus, *Sedimentum diluvianum aliis atque aliis ſtratis ex eluvionibus ſine dubio particularibus eſſe obrutum ac obtectum.* Noſtra foſſilia ſæpe ad *profunditatem* 20-100. *pedum* latent & quidem in ſtratis *parallelis ex ſedimento turbidi fluidi ortis.* In Lapidicina *Eſperſtadienſi* prope Querf. ſuperius ſtratum limoſum, 20. ped. denſum, ſub ſe continet ſaburroſum oſſibus elephantinis aliisque repletum, ſub hoc ſabuloſo reperitur aliud, calcarium, in quo oſſa animalium marinorum ſunt recondita, *ad ped.* 40-60. Nemo rationis compos, hoſce *profundas ſtratificationes ac ſepulcreta particularibus* eluvionibus annumerabit. Eodem argumento diſſentientes aggreditur Dn. D. *Volckmann.* Medic. Ligniac. iisdem ad me datis literis: Es möchten doch diejenige, ſo nur eine particular Inundation zulaſſen, nebſt der Höhe, auch die faſt unglaublichen Tiefen und Klüffte der Erden bedencken, darinnen dieſe Dinge oft in den allerhärteſten Stein vergraben ſeyn &c. (7)

§. XXXIII.

Unicum adhuc addam argumentum. *Fluctuatio horum ſtratorum non minus* (8) *catholiciſmum diluvii edocet.* Calcaria quidem ſtrata noſtra ſunt continua, ſed *inſtar fluctuum* modo preſſa, modo inſurgentia ad pedes 20-60. Verſus Borrhapeliotem ſeu Cæciam Nord-Oſt, ped. 60-70. declinant. Sic quoque ſtratum illud celeberrimum ☽ & ☿ *dives nigrum ac fiſſile* Schiffern, Ichthyolithis refertum, (8)

ad *modum fluctuum* ſe habet. Verſus Notolybium. Süd-Weſt, in agro *Bottendorffenſi* unâ cum regione quadantenus exſurgit, mox *ſub Oneſtro preſſius*, noſtram viciniam permeans, verſus Septentrionem tendit. In *comitatu Mansfeldenſi* iterum, ſed *fluctuatim* reperitur, als ſteigend und fallend, quin etiam verſus Cæciam, Nord-Oſt, in *agro Wettinenſi*, ubi & Lithanthraces, Lithophyta ac Ichthyolithi eruuntur. His ſtratis *fluctuantibus* hîc illic *juga montium ſunt impoſita.* Nemo igitur *hanc ſtratorum fluctuationem, colliumque impoſitionem pro effectu particularis inundationis* venditare præſumet.

§. XXXIV.

Pluribus argumentis non indiget aſſertus catholiciſmus diluvianus. Hoc tamen ſilentio non præteribo. Magnif. Dn *Iob. Wilh. Beyerum*, Theologiæ Doct. ac Prof. celeb. *ſolidiora in tertiâ* Diſſertationum diluvianarum communicaturum eſſe, ut promiſit in *primâ.*

§. XXXV.

Sat prata. Claudendi ſunt rivi & ſcripto huic coronis eſt imponenda. *Experientiæ ac rationi conſentanea* pro ſcopo poſui, totus alienus à præjudiciis. An tetigerim, judicent, peritiores me; Sin minus, moneant iidem, à ſe quoque humani nihil alienum eſſe putantes. Peræque mihi erit, ſi meliora poſteris erudiendis dedit mea hæc meditatio, *vel aliena correctior dabit.* Non applauſum capto, veritatem venor. Nos etenim venantes *participabimus eam amicè.*

Vale *Lector quisquis ſis*, mihique omnem ne denega gratiam, gratioſiſſimo Numini te cordicitus commendanti.

INDEX.

A.

ANimalium marinorum partes in coralliis p. 15
in lapide corneo p. 29. ſq.
Animalia marina, an tertia creationis die, abductis aquis, remanſerint in ſedimento? p. 56
Archæus, an ludat? p. 3
Aſteriæ ſunt articuli ſtellarum marinarum ſ. capitum Meduſæ. p. 17
reſeruntur a quibusdam inter corallia. p. 16.
Aſtroites originaliter corallion p. 16
Aura ſeminalis ex animalibus marinis, an detur? p. 7

B.

Belemnites, originis animalis. p. 2
in lapide corneo. p. 30

C.

Caucaſus offert diluviana p. 63
Character externus ſ. ſtructura aggregativa inſervit examini foſſilium diluvianorum. p. 38
Chymia an idem præſtet? p. 35
Chorolithos propriè loquendo non eſt luſus. p. 4
Conchyliorum marinorum ſpecies quam plurimæ in agro Qverfurt. ac vicino. p. 51
Corallia in ſtatu integro ac creato. p. 11. ſqq.
Corallia reperta quoq; in fluviis p. 11
Coralliis inveſtiuntur fundum & parietes maris. p. 11. 47
Corallia dividuntur in genus lignoſum & ſaxoſum. p. 11
Coralliorum generis lignoſi recenſio p. 11
ſaxoſi recenſio p. 12
Coralliorum ortus p. 13
incrementa annua. p. 11
plura reperiuntur foſſilia, quam marina, quare? p. 13
foſſilium recenſio. p. 17

Corallia marina ab initio mollia p. 14. consequenter fossilia s. diluviana p. 46
Coralliorum fossilium nomina specifica p 16
collatio cum marinis p. 17. sqq.
Corallia continent intra se animalium reliquias. p. 11
testas concharum. p. 15
Coralliorum fossilium origo ac natura demonstratur p. 39. sq.
Coralliorum sedes p. 47
in agro Lipsiensi p. 45. Querfurt. p. 50. Masselensi p. 53
Corneus lapis. Vide; Lapis.
Cornu Hammonis denominatio ad Idolo. p. 16.
Curiosi, non curiosa desunt. p. 27

D.

Dendrites, propriè loquendo non est lusus naturæ.
Diluvianorum fossilium historia difficilè cognitu, quare? p. 1. 2
Diluvianæ hypotheseos assertores. p. 8. 9
Diluvium universale à nonnullis negatur. p. 56. Horum opiniones recensentur & examinantur. p. 56. sqq.
Diluvii catholici demonstratio p. 62
testimonia p. 55
descriptio Wedeliana p. 60
Diluvia particularia asseruntur p. 58
Diluvii universalis possibilitatem nemo tenetur probare, cum rerum testimonia adsint. p. 59

E.

Echini, eorumque partes in lapide corneo. p. 30. sq.

F.

Feuer-Stein, unser gemeiner, originis corallinæ est. p. 44
Fossilia diluviana partim cognitu difficilia p. 1. 2.
Fossilium coralliorum natura & origo demonstratur. p. 39. sqq.
Fossilia corallia melius ex charactere externo, quàm pyrocriticâ dignoscuntur. p. 35. sq.

H.

Hammites. Hujus ovula consistunt è crustâ, albumine vitello. p. 51

I.

Judaicus Lapis, originis animalis p. 2
in lapide corneo. p. 46

L.

Lambecii commentatiuncula in phiolam achatinam p. 7
Lapis corneus, Feuer- oder Flinten-Stein est originis corallinæ p. 27. 44

Lapidis cornei descriptio p.27
Lapidum corn. recensio. p. 28. sqq.
Lapidi corneo involutæ animalium partes p.29.sq.
Lapidis cornei copia p.47
Lapis corneus, quâ viâ pervenerit in nostras regiones editiores. p.47
Lipsiensis ager maxima ex parte consistit è stratis diluvianis.
Leopoldus, Jac. Mathematicus Lipsi. primus observavit Fossilia diluviana agri Qverf. p. 52.
Lusuum naturæ causa, an Archæus? p. 3
assertores injurii in DEum seriò agentem. p. 3. 4. 6
nomine utuntur Viri quoque sapientes, sed ad os & morem vulgi. p. 4. 5
Lusus dantur, sed phantasiæ ex abusu visus p. 5
Lusuum quorundam recensio p. 5. sq.
Obstetrix credulitas p. 6
Lusus facilè asserunt, qui diluvium catholicon in dubium vocant. p. 8. 56
Lutherus in lapide fossili, figmentum p. 6
testis diluvii p. 61

M.

Maria cum infantulo in lapidibus figmentum phantasiæ. p. 2
Masselensis ager principatus Olsnensis offert diluviana. p. 53
agri altitudo. p. 66
Mutinensis ager consistit è stratis undosis p. 48. sq.
Mylius, Gottl. Fr. primus scripto publ. illustravit fossilia Qvernf. diluviana. p. 52
Mylii Saxonicâ subterraneâ nemo nostrorum lithophilorum facile carere potest. p. 30.

N.

Natura metallolithogenetica p. 3
serio agit, nunquam ludit. p. 4
Naturæ ordo seu œconomia post diluvium perturbata p. 4.
Nautilites, vulgò cornu Hammonis p. 16
Nux moschata, ut videtur, in lapide Qvernf.

O.

Omnipotentiæ divinæ nomine abutuntur, qui lusus asserunt.

P.

Physica termini loqua insufficiens. p. 2

Ciceronem non loquitur.
Pyrrhini annuli achates, referens idola, non naturæ, sed phantasiæ lusus est. p. 4
Pyrites, Vid. Lapis corneus.

Q.

Qualitatum occultarum assertio candidior, quam lusum. p. 3
Quernfurtensis ager è stratis diluvianis consistens. p. 48
quàm plurima continet marina. p. 51

R.

Rumphius, oculatissimus cœcus, enarrat corallia marina, p. 10

S.

Scholastici partim fastuosi. p. 27
Silesiacus ager Diluvii testis. p. 53
Strata globi terraquei ex sedimento fluidi turbidi diluviano orta p. 48. sqq.
in agro Lipsiensi p. 48
Mutinensi, Quernf. ac vicino. p. 50. sq.
Hassiaco. p. 55
Strata diluviana per universum mundum p. 54
in Americâ. p. 54

T.

Terra medica prope Qvernf. p. 36
Testæ concharum in corralliis p. 15

V.

Volckmannus, Georg. Ant. Med. D. Lignic. testis stratorum diluv. p. 66. 67

W.

Woodvvardi Sententia de stratis diluvianis à D. Camerario notata. p. 54.

Sphalmata typographica potiora:

Pag. 7. lin. 20. errore. p. 8. l. 7. Nauseosis. Res. p. 8. l. 23. acumen. p. 10. l. 21. si fundum. p. 14. l. 14. quem. p. 14. l. 19. generis. p. 15. l. 16. Num. p. 16. l. 3. decepti recensent. p. 18. l. 6. radiosam. p. 25. l. 19. fungi affixa. p. 29. l. 17 globuli. p. 29. l. 23. mirari. p. 35. l. 18. negligenda. p. 35. l. 21. nostra. p. 35. l. 22. quondam. p. 36. lin. 8. Vitiosus. p. 36. l. 26. Holdenstädt. p. 37. l. 6. Frustum. p. 37. l. 8. Bergzehndeners. p. 38. l. 1. chymicâ. p. 43. l. 20. fatum. p. 43. l. 22 marina, lippis. p. 43. l. 23. & ab. p. 44. l. 11. tenebar antea, p. 46. l. 12. §. 21. 22. p. 46. l. 24. marinæ. p. 53. l. 6. Conchyliis. p. 55. l. 13. reperimus. p. 56. l. 11. quàm judice. p. 56. l. 22. quartâ & sexta. p. 58. l. 23. glareosis p. 59. l. penult. בנים. p. 65. l. 2. Rara. l. 3. Rara. p. 68. ult commendanti.

1:219